





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
5 A
7

EPISTOLAE

CLARORVM VIRORVM,

SELECTAE DE QVAMPLVRIMIS optimæ,

AD INDICANDAM NOSTRORVM temporum eloquentiam.





VENETIIS, M. D. LVI.
Apud Paulum Manutium, Aldi filium,
cum priuilegio.

EPISTOLAE
CLARORVM VIRORVM,
selectæ de quamplurimis optimæ.

Lazarus Bonamicus Mario Sauorniano, & Benedicto Rhamberto S. P.



HERI *à uobis mihi reddita epistola fuit; in qua tam multa me delectarunt, ut, quid maxime, non facile iudicarim. nam amor ille uester, ut ingenuus in omnes bonos, sic in nos pene singularis, etsi testimonio, aut confirmatione nulla egebat; eius tamen commemoratio me dulci quodam modo afficiebat.* Diligentia *uero, quæ, in tanta magnitudine, ac uarietate rerum aulicarum, quibus sæpe, tanquam* Circeo *poculo, immutari hominum mores solent, non solum passa non est me uobis memoria excidere, sed ultro etiam effecit, ut de* Turcarum *equitatu, de* Lutherana *re, quo loco esset, quæ spes, nos doceretis, an non iucundissima esse debuit? me quidem incredibili lætitia extulit: qui quanti hoc æstimem, sum mihi ipse conscius.* De Iulio, *de* Logo, *de* Rosino *gratissimum fuit audire: quos omnes eo iudicio amo, ut in eorum ingeniis, ac uirtutibus*

Germaniæ ornamenta collocare soleam. Theupoli quidem grauitas, auctoritas, in omni genere literarum præstantia, si tantum mihi ab eo tribuitur, quãtum scribitis, in cœlo me constituit. ut præ hoc uel opes Cæsaris possim contemnere. probata enim uirtus, à magnis præsertim uiris, omnibus fortunis est anteponenda. huius uiri cohortatione, ut uos scitis, cœperam ante de Patauio cogitare: nunc autem, rogante Episcopo, precante Veneta iuuentute, omnibus scholasticis, ac amicis nitentibus, victus tandem, contra commoda, contra dignitatem meam, quod uos facile iudicabitis, si quando rem totam cognoscetis, ab urbe Roma, quò honestissime à plurimis, iisq; maximis uiris uocabar, ad Patauinam conditionem accipiendam animum reieci: idq; feci eo potissimum consilio, ut, si quid sim consecutus, quo possim prodesse quamplurimis, id totum ad communem utilitatem conferrem. hoc si quid erit, in eo, mihi credite, liberalitas nostra extabit: &, ut aliquid sit, omni studio contendam: itaq; uiuam, ut bonorum causa ipsi me boni uigilare intelligant. plura non scribam hoc tempore. nam cum secus, atque mihi proposueram, euenerit; multa agitem, necesse est, & prouideam:

deam : quorum cogitatione districtus teneor. his cum liber ero, & numero, & longitudine literarum explebo, ut arbitror, desiderium uestrum. nũc hæc satis, si uos rogauero, ut Iulium, *uestro amore dignissimum adolescentem, omni charitate complectamini, &, quod commodo uestro fiat, nostris uerbis admoneatis,* Polybij *libellum de rep.* Roma*na icticro ad eum non esse missum, quia exemplar, cum quo conferrem, non est inuentum. cum primũ nactus ero, in desiderio huius diutius nõ erit.* Theu*polo, ornatiss. uiro, me etiam atque etiam cõmendate, nosq; diligite.* Iulio, Logo, Ro*sino à nobis salutem plurimam dicite.* Valete.

Venetijs.

Lazarus Bonamicus Mario Sauorniano, & Benedicto Rhamberto S.D.

QVID *causæ sit, non intelligo, cur per binas literas apud* Episcopum Bononiensem *accusare me uideamini negligentiæ. quid enim à uobis accepi literarum, quibus non responderim? aut quis ad scribendum promptior, quã ego sum? quòd si tam rectè scriberẽ, quàm facile scribere possum: in cœ-*

lo me planè esse sentirem. si uero essem ubi uos, quibus in locis ea nascuntur; quæ cuiuis suppeditent materiam ad scribendum: frequentia literarum uobis fortasse molestus fuissem. in quo aut uestro me iudicio condemnastis; qui, quæ à Cæsare, *multorū seculorum principe, aguntur, quæq; ad summam rei* Christianæ *pertinent, nos minime curare scire putauistis: aut, cuius nos negligentiæ accusare iniuria uidemini, eodem uos crimine insimulari potestis. quod quidem non facimus, occupationes uestras cogitantes, præsertim cum speremus eadem ex uobis audire: iam enim & de successore, & de reditu uestro optato, atque expectato multa cognouimus: qui tamen maturus tam non erit, ut mihi longior non fuisse uideatur. uelim autem ita redeatis, ut non minus ad uos peregrinationis uestræ rationem, quàm ad* Nicolaum Theupolum, *sapientiss. uirum, nobilissimæ, ac gloriosissimæ legationis renunciationem, pertinere existimetis. nos certe si minus simili, at quo poterimus industriæ nostræ munere remunerabimur.* Valete, *& nos optimo uiro, & homini doctissimo* Theupolo *etiam atque etiam commendate.* Patauij, XVI. cal. Oct.

Lazarus Bonamicus Petro, Hosio, Polonis omnibus S. D.

MI Petre, mi Hosi, mei optimi & nobilissimi adolescentes, qui uestra sponte honori meo tam ardenter, tam constanter, tanta animi magnitudine consuluistis: utinam consilium, diligentiam, assiduitatem meam uidere, mentem uero, & solicitudinem perspicere potuissetis; quibus omni conatu enixus sum, ut, uestræ uoluntati obsecutus, aliquam partem uestrorum erga me meritorum assequerer. hæc enim si uidissetis, & rebus tractandis interfuissetis; mecũ potius ipsi doluissetis, quàm aliquod officium amantissimi hominis, uestriq; cupidissimi à me prætermissum quereremini. Qua ex re intelligi potuit, quid esset τῶν ἀδυνάτων ἰσχὺν: omnia tentaui, omnes quasi neruos consilij, industriæq; intendi, ut ad uos per eos, qui constituendæ Patauinæ Academiæ procurationem habent, uenire, aut accurrere potius liceret. ardebam incredibili cupiditate, primum singulos amplectendi, qui tantum beneuolentiæ erga me præ se tulerũt, dein de omnibus declarandi, quidquid à uobis in me collatum esset, in gratissimum hominem, omniaq; uo

bis officia debere confitentem, collatum esse. sed obstitit id, de quo scribere non possum quid sentiam: animo uero inclusus dolor, & tacita indignatio mœrore nos pene conficiunt. obsecro autem uos, atque obtestor, adolescentes, per uestram nobilitatem, per studia literarum, quæ sanctissime colitis, ut me potius uestra bonitate subleuatum confirmetis, quàm aliquo minus æquo iudicio damnatum affligatis. una enim reliqua hæc consolatio; si uos persuasissimum habere ex uobis cognouero, me nihil maluisse, quàm uoluntatem meam ad uestram aggregare, & cura, opera, diligentia desiderio uestro, aut potius nostro non defuisse; si quid obtineri non potuit, id potius aliorum iniuriæ, quàm mihi, esse tribuendum. hoc si ad conscientiam egregiæ meæ erga uos uoluntatis accesserit; non mediocri me dolore alleuatum putabo: sin minus; est, cur semper ingemiscam. nullo autem modo fieri poterit, ut non de referenda uobis gratia, dum uiuam, semper cogitem, & bonam partem operæ meæ ad uestra studia referam. Valete, & nos, ut solebatis, diligite. hoc gratius contingere nihil potest. Venetijs, M.D.XXXV. eo ipso die, quo de aduentu ad uos meo desperabamus.

Lazarus,

Lazarus Bonamicus Iacobo Sadoleto S. D.

O EXPECTATAS *literas tuas, hoc uero tempore expectatissimas. iam enim desiderio pene conficiebar aliquid de te audiendi: nec satis mirari poteram, quam ob causam nihil tandiu literarum daretur ad me; qui tam crebro ad te scripsissem: ut uel tibi, uel fortunæ, uel improbitati eorum, quibus literæ committerentur, interdum subirascerer. fortunam quidem proxime accusaui. nam* Auilas, Bembi, *ut scis, familiaris, cum ad te cum meis literis proficisceretur, ratione itineris commutata, quod alter ex equis ferendo itineri non esset,* Genuæ *conscendit, ut in* Hispaniam *ad suos transmitteret. de literis non curasse arbitror, ut ad te perferantur. nisi forte eius nos fides cum diligentia fefellerit. quæ in mandatis habebat, nihil opus esse uideo. hoc enim ipso die, quo mihi literæ abs te redditæ fuerunt, certam rationem cognoui, qua percommode & tuæ ad me & meæ inuicem ad te literæ perueniant. quo mihi quidem nihil esse potuit optatius.* Auinione Ernius *est* Remiliasius, *uir sane nobilis, & clarus.* Ioannem *filium habet; qui* Patauij *in studijs bonarum artium ita uersatur, ut*

 iam

iam excellat; et eam ipsam ob causam mihi est coniunctissimus. peropportuna utrique occasio. tu patri, ego filio literas dabimus. illis pro fide, & officio maximæ curæ erit, ut, quod fieri poterit, quã celerrime perferantur. in quibus si fides erit, quam mihi dederunt; multo, mihi crede, crebriores a me epistolas accipies. Vale. Patauij XII. Cal. Iun. M.D.XXXij.

Lazarus Bonamicus Paulo Manutio S. D.

AMABAM te antea tantummodo, quòd esses eius patris filius, cui græcæ, latinæq; literæ plurimum deberent; cuiq; priuatis ipse in me adolescentulum officijs obligatus ita esse uellem, ut amor meus ad eius etiam posteros pertineret. nunc uero, lectis tuis literis, ex quibus cognoui paternam gloriam te, tanquam amplissimum patrimonium, non solum tueri, & conseruare, uerum etiam augere posse: uix credi potest, quàm ex ea spe, quam & eximiam, & certam de te concepi, creuerit amor meus. nihil enim in hac ætate, qua tu es, amabilius, quàm uirtutis significatio. ad quam te cohortarer pluribus, nisi & natura, ut uideo, & dome-

stica disciplina id iam esses consecutus, ut cohortatione non egeres. gratulabor potius tibi, & manibus parentis tui: quos arbitror plus ex hac una re uoluptatis percepturos, quàm omnes ex omnibus triumphis imperatores ceperint. perge igitur adolescens, & literarum laudem, iamiam pene manibus comprehensam, noli dimittere. cætera enim, mihi crede, leuia, & caduca, & interdum nobis molesta: hæc una, nunquam non iucunda, in memoria hominum nomen semper retinet nostrum, suáq; luce cuncta obruit. quæ tibi sæpe in mentem uenisse non dubito; cum hac ætate hos progressus feceris: sed tamen & incredibilis amor meus in te, memoriáq; parentis tui, & solicita quædam lubricæ ætatis tuæ cura me adduxere, ut hæc non necessaria scriberem. De beneuolentia tua erga me, equidem eam amplector; mihiq; eam deberi persuadeo, cum, quanta mea erga te sit, intelligo. De quaternionibus uero quod scribis nomen meum ex Egnatij tabulis inductum, fidem, & diligentiã, multo ante mihi cognitam, & perspectam, declarasti. de quibus doctissimo, ac eloquentissimo uiro, Egnatio meo nomine gratias ages: non quo tanti æstimem, quanti, antequam scriptum legerem, æstimabam:

mabam: sed egregia hominis uoluntas gratissima mihi fuit: quam omnibus rebus soleo anteponere. Vale. Pataui. IIII. cal. Nou. 1531.

Lazarus Bonamicus Mario Sauorniano S. D.

QVANTVM *te amem, semperq; amauerim, ita notum esse arbitror, ut res non egeat argumentis. amoris autem causæ, (ut omittam nobilitatem, quæq; tua propria non sunt) quòd excellẽs in te ingenium esse cognoram, eiusq; excolendi studium pene incredibile. in quo etsi multa tibi impedimento fuerunt: id tamen es consecutus, ut in te maior prudentia sit, quã ætas patiatur; & ea legeris, quæ ratione confirmata, præsidio tibi ad omnes casus esse possunt. cuius autem uita aut fuit unquam, aut esse potest, in qua multa non expectata non acciderint? circunspice mi Mari, & ex ueterũ monumentis, quã longissime potes, memoria repete, quã nihil, præter animos nostros, non in fortunæ potestate. qui si franguntur, aut debilitantur ex incommodis, quæ undique se nobis effundũt: quid imbecillius, aut miserius humano genere? contra, hos si erectos habeamus; si indignum putemus, di-*

uinam

uinam rationem fortunæ succumbere : nobis nihil beatius . si quidem summum hominis bonum alia quadam ratione continetur , quã fortunæ temeritate regatur. quæ quoties nobis aduersatur; (aduersatur autem sæpissime) illud occurrat ; ut peritior gubernator existimatur , qui ex turbulentissimis tempestatibus se in portum receperit, quã qui secunda nauigatione semper sit usus, sic multo maior, ac præstantior uir, qui fortiter tulerit, quã qui nunquã senserit aduersam fortunam . hic enim in primis , ut ait uir admirabilis , ἐκλάμπει τὸ καλόν. liberos amittimus: cogitare debemus, num soli. fratres, parentes, coniuges desideramus : quàm multi his orbati sunt; regno præterea eiecti, fortunis omnibus spoliati, in ignominia , & calamitate uixerunt. exempla plura, quã sint commemoranda. an tam superbi erimus, ut aliquid priuatim a natura ; æquissima parente, nobis optemus? an tam stulti, ut impetraturos nos putemus? an tam ingrati, ut non propter innumerabilia bona gratias Deo agamus potius, quàm, si quid contra euenerit, ac uellemus, queramur? Multa sunt alia, mi Mari , quibus corroboremur aduersus omnem uim fortunæ, & quibus ipse proxime usus sum, cum de morte Constan-

tini

tini fratris allatum est. etenim, quia te, illumq; amabam, uehementer sum commotus. eisdem uteris & tu. quid enim agas? nam, dolere propter calamitates, ipsas calamitates est augere. qui morbo corporis laborant; medicinam quærunt. animi uero medicina ratio est. refer animum, optime adolescens, ad Deum; *&, quæ ab illo acceperis, diligenter considera; summam nobilitatem, diuitias, opes, tot fratres, cognationes, affinitates, speciem, & ualetudinem corporis, ingenium, egregiam, ut semper cognoui, ad optima quæque uoluntatem. fac ut tot tantarumq; rerũ memineris magis, quàm affligaris, si non omnia, quod fieri non potest, uotis tuis responderint. at erat frater. quid? an non multi omnes amiserunt? tibi tanta, & tam florens copia superest. quòd si eo doles, quia sapientissime rem familiarem gubernabat, teq; omni molestia liberabat: uide, ne tua magis, quã illius càusa dolere uidearis. quod in moribus tuis hærere non potest. esset enim turpissimum.* Dices, *genere te mortis torqueri. obsecro te, clarissime adolescens, mihiq; carissime, hic te eum præsta, qui mihi semper es cognitus; hoc est, ut paulo interius rem spectes, quàm uulgo homines solent. non enim genus mortis ul-*

lum lamentabile, quod sine uitio, & culpa nostra est: cum turpitudine uero nullum non dolendum. neminem inuenias, qui fratrem tuum arguat. omnes nefarij sceleris auctorem detestantur. quod igitur genus hoc? in quo inimicorum uestrorum facinus uituperetur, omniumq; odia in eos accendantur; uestrum reprehensorem non reperiat? sed cogitatione paulisper abeas ab his communibus nobis cum alijs: & hoc dies ac noctes mediteris: Christianus sum: ducem optimum, & uerissimum, Deum sequor: quid ille non est passus? quot, & quanta indignissime tulit? ego ne quouis fortunæ fluctu obruar? meliore ne, quàm Deus, conditione esse cupiam? quin huc me potius paro, ut, omnia ferendo, quæ Deo meo placent, & nõ nomen solum, sed etiam illius præcepta, & facta imitando, ex breui, & caduca, & molestiarum plenissima, in æternam ac iucundissimam uitam migrem. Hæ cogitationes non mediocriter leuarunt dolorem meũ, quem ex morte fratris tui capiebã: easdem arbitror leuaturas tuũ. et quanquam non ignorabam eã esse præstantiam animi ingenijq; tui, ut plura per te consequereris: scribenda tamen esse hæc pauca ex multis duxi; ut esset amoris erga te mei testimo-

nium

nium non necessarium. Vale, & nos ama: Patauij, pridie Non. Sext. M. D. XXXIIII.

Lazarus Bonamicus Gaspari Contareno, Cardinali, S. D.

CVM *optatissimum mihi nuncium Rhambertus attulisset, in collegium te summorum patrum cooptatum fuisse; quo minus sperata fuit haec dignitas, eo accidit iucundior: nam constituendae rei christianae non obscuram significationem dabat. quid enim factum est post hominum memoriam, uel ad commendationem Pontificum illustrius, uel ad religionem ex tot incommodis recreãdam aptius, ac sapientius, quàm ex uirtute homines deligere, qui ingenio, doctrina, usu rerum, uitae in primis exemplo negotium christianum gerere & possint, & uelint? nam etsi contra uoluntatem tuam euenisse arbitror, ut ab reip. tuae administratione ad nouũ genus uiuendi abstraheres: nihil tamen dubito, quin libẽter sis facturus, ut, cum praeclarũ existimaris in patriae tuae rep. caste, atque integre uersari, quod omnes iam intelligunt, multo maius esse tibi persuadeas rem Dei publicam curare; cum praesertim*

tim omnia in te summa a Deo sint profecta, quæ religioni præsidio non mediocri, atque ornamento uel maximo esse possunt. Quare uehementer tibi gratulor, non propter istam quidem dignitatem, ad quam sæpe dissimiles peruenerunt tui, sed quia sis nactus ubi latius ingenium, & uirtus se diffundat tua, dignitatemq́; in qua proxime optimi Pontificis sapientissimo iudicio es collocatus, non tueatur modo, sed etiam augeat, atque amplificet. quod ita mihi exploratum est, ut putem Cardinalatum istum tuum posteritati etiam admirationi futurum. Valde te uidere cupio: ut, si qua maior, quamqua te contemplans absentem afficior, uoluptas esse potest, eam capiam. quod erit, cum per hoc munus publicum mihi licebit. Vale.

Patauij, VIII. cal. Iunij, 1535.

Lazarus Bonamicus Principi Melphitano iuniori S. D.

CVM *mihi literæ tuæ redditæ fuissent, primum admirabar quis esset, qui scriberet: deinde, illis perlectis, dici non potest, quàm magna uoluptate sim affectus. delectabat me parentis tui, cum mul*

torum sermonibus, tum Sadoleti testimonio summi principis, & probatissimi uiri, commemoratio uoluntatis erga me, itemq; tuæ, quam egregiam esse profiteris: eoq; magis mecum ipse tacitus commouebar, quòd intelligebam non fuisse tanti officia mea, quanti à uobis æstimarentur. sed uobis, grati animi abundantia, ea quoque, quæ parua sunt, magna uidentur esse. quæ res, mea quidem sententia, nobilitatem uestram imprimis arguit, & nobilitat. quam ob causam mirifice me & a parente, te filio, & abs te, tali parente dignissimo, amari gaudeo: uobisq; affirmo, cum omnibus alijs in rebus a uobis me superari patiar, fide, obseruantia, pietate erga uos uestræ in me beneuolentiæ facile responsurum. Te uero, adolescens optime, & ad omnem uirtutis laudem expectatissime, cum cognouerim ex tuis literis quanta & quàm certa spes non familiæ tuæ solum, quam amplissimã, & splendidissimam esse non ignoro, sed etiã nostrorum temporum sita sit in te, hoc mihi sumam pro eo studio, quo omnia tibi, & clarissimo patri tuo, uniuersæq; familiæ & læta, & gloriosissima exopto, ut cohorter ad ingenium excolendum. quod ut præcipuum in nobis est, solumq; diuinum: sic omnia, quæ ad

ipsum

ipſum pertinent, & maxima, & maximæ laudis exiſtimanda ſunt. huius tibi facultatem natura elargita eſt, parentis autem uoluntas ea eſt, ut nihil malit, quàm te, non fortunæ bonis, in quibus quantum infirmitatis ineſſet, etſi iniuria, nimium tamen experti eſtis, ſed animi dotibus abundare; quæ nobis adimi non poſſunt, & tum, tranquillam ut uitam uiuamus, præſtant, tum memoriam noſtri in omne tempus, omnesq; gentes diſſeminant. uides quàm nihil eſſet tota uetuſtas, niſi lumine literarum illuſtraretur. uides, neminem prope dixerim paulo nobiliorem fuiſſe, qui ſe nobilitatem tueri ſuam poſſe crederet, niſi uera nobilitas uirtutis accederet. Neque te auferat noſtrorum temporum deprauata diſciplina; quibus nobilitas literarum ſplendore obſcuriorem ſe fieri putat: nimis enim ſtulte, quanta in ignominia uerſentur, non intelligunt. propone tibi ante oculos nobilitatem Romanorum, Athenienſium, omnium denique gentium, quæ magnam gloriam ſint conſecutæ. eam imitare: ad eam te exerce: huc confer cogitationes tuas. habes parentem huius rei cauſa uigilantem. es in ea ciuitate, in qua græcæ latinæq; literæ hoc tempore prope naſci uideantur. noli tantas opportunitates adoleſcens

omittere: & tibi persuade, si eo animo fueris, ut uirtutem maxime ducas expetendam, cetera omnia fore tibi facilia. Atque haec scribo amore potius incitatus meo erga te, patremq; tuum; quo necesse est ut uestra omnia mihi carissima sint, quã ut uerear ne ab hac opinione dissentias: in qua per omnes uitæ tuæ gradus ut maneas, te uehementer rogo; oroq; una cum præstantissimo uiro patre tuo, me in uestrorum numerum reponatis. Quid uero tu tam multa de missione literarum? ego tibi contra gratias ago, quòd me dignum putaueris, ad quem scriberes, agamq;, quoties ad me aliquid tuarum literarum dederis. quod ut sæpius facias, mirandum in modum cupio. erit tibi non inutilis exercitatio, mihi uero etiam iucundissima. nũquã scribes, quin rescribam; et in eo occupationes nos, mihi crede, nihil impedient. Bembo ostendi tuas literas: qui tuam ad summam gloriam indolem complexus, tibi primum gratias agit, deinde tibi, patriq; tuo se etiam atque etiam commendat. Vale, & nos tui studiosissimos dilige. Patauij, III. idus Quint. M.D.XXXIIII.

Lazarus

Lazarus Bonamicus Iacobo Sadoleto S.D.

IAM plane constitueram leuare me hoc impedimento potius, quàm onere, in quo quadriennium fui, cũ tuæ literæ perlatæ ad me sunt: quæ summa quidem sententiarum grauitate, uerborumq; copia, admista incredibili quadam suauitate bonitatis, excellentisq; naturæ tuæ, (quid autem dicam de beneuolentia, quæ nullibi tam efficax, tamq; perspicua, quàm erga nos?) uehementer me ab hac ratione reuocabant. sed erat in his nihil, quo cuperem mutare sententiam: etsi omnia prudentissime, & amicissime scripta non ignorabam, quæ scriberes. Nam quod uidebaris suspicari, me id uelle aut leuandi, aut fugiendi laboris causa: hoc tibi persuade, nihil tam alienum a me: cõtra uero, hoc mihi sempre animo insedisse, homini turpissimum esse labore frãgi, industria ue debilitari, qui ceteris usui ad uirtutem esse, aut ipse magnam consequi præstantissimarum rerũ cognitionem posset. qua ex causa, cum feriari nobis publice licet, tum maxime in studijs uersamur, multoq; plus laboris toleramus. cognosce igitur et iudica, quàm falsa fuerit opinio de me. tu putas me Patauinæ conditioni renunciare uelle, labo-

rem ut uitem: ego me cupere id ſcio, ut plus laboris impendam: Nam *quòd proponis communem utilitatem: eam nunquam deſerendam exiſtimaui: ſed, cum maiora onera in re literaria non nulli ex amicis me ſuſtinere poſſe ſibi perſuaſiſſent, id conſilij dabant, ut leuiora relinquerem, maiora amplexarer: idq́; boni uiri eſſe docebant: meq́; ipſum, mihi diffidentem, impellebant, ut non uiuentium ſolum, ſed etiam poſteritatis memoriæ conſulerem. quam rem in hoc publico impedimento, nihil erat, cur quiſpiam optaret. uideo & tibi, & his, & ipſi philoſophiæ idem placere, ut utilitati hominũ inuigilem. idq́; mihi perſuaſiſſimum eſt: ſed imbecillitas ingenij uenit in dubium. in altera utilitatem multo maiorem eſſe animaduerto. ad utram minus ineptus ſim, explicare non queo. in altera plus laboris, & ingenij ineſt: quod ut perexiguum eſt in me, eoq́; deterreor, ita labore nunquã impediri ſoleo, & propterea ſum alacrior.* Hæ *mihi erunt deliberandi cauſæ, cum ad te ſcribebam: ſed non audebam aperte ſcribere: quòd erat ſcribendum aliquid de me a me ipſo: quod facio perinuitus. quam ob rem multa prætermiſi, quæ ab amicis dicuntur, falſa quidem illa, ſed dicuntur tamen. utinam hic eſ*

ſes:

ses: ut aut te illi, aut illos tu in tuam sententiam adduceres, si modo alia esset tua, re quæsita inter nos, & disputata: de qua iterum uelim audire quid sentias, id est ad utram me hominum utilitatem potius cohorteris. in qua cogitatione, obsecro te, ut nihil dubites, nos esse ad omnem laudem paratissimos. Vale. Patauij, idibus Iulijs, M. D. XXXIIII.

Lazarus Bonamicus Iacobo Sadoleto Card. S. D.

INCREDIBILEM antea uoluptatem ceperam ex reditu tuo in Italiam, & ipsi Italiæ, Romæq; gratulabar; quæ te aliquot iam annos carentes, tui nominis gloria quodam modo carere, eamq; sibi Galli uindicare uidebantur. qua in lætitia dolore tamen non mediocri afficiebar; quòd subuerebar, ne iterum nobis eriperere, et trans alpes usque euolares. sed, proxima renunciatione Card. audita, Dij immortales quanto gaudio exultaui, sublato timore, quo angebar: & cum summi Pontificis iudicium, & uirtutem admirabar; tum sperabam, aut confidebam potius, omnia in re christiana fore lætissima. quid enim post hominum memoriam aut

cogitatum sapientius, aut gloriosius in urbe factum est? non enim ex uoluntate principum, ut sæpe, in amplissimum ordinem asciti: at sapientissimi, innocentissimi, clarissimi, & summa auctoritate præditi uiri, euocati, rogati, facti sunt Cardinales. o præclara comitia, o his difficillimis temporibus necessaria, o Pauli III. sapientiam, & bonitatem singularem. Christiano itaque nomini, & tibi gratulor: mihi gaudeo; & tibi reliqua ex sententia euenire cupio. nam quæ sentis, quæq; optas, omnia semper cognoui ad religionem, ueramq; pietatem referri solere. quæ causa fuit, ut de adepta tibi dignitate tuenda nihil scriberem hoc tempore. quid enim te potest latere in tanto ingenio, tantaq; doctrina, usu denique, et tractatione rerum diuinarum? si quid tamen es admonendus; illud te non dubitauerim admonere, ut ueterem consuetudinem tuam conserues, & te ipse imiteris. ita enim, ut omnes ad istam te dignitatem iure, & cum ipsius dignitatis pulcherrimo ornamento peruenisse iudicant: sic multo ampliore dignissimum existimabũt. Vale. Patauij, III. Cal. Ian. M. D. XXXVII.

Lazarus

Lazarus Bonamicus Reginaldo Polo Cardinali S.

VTRVM *tibi magis, an religioni christianæ gratuler, nescio. utrique certe mirandum in modũ gratulor: sed tibi, quòd in eum locum ascenderis, unde præclarum lumen uirtutum tuarum ab omnibus clarius conspici, & quamplurimis prælucere ad ueræ religionis pietatem, & decus poterit: ipsi uero religioni propterea, quia ex una dignitate homines uideo eligi cœptum esse, non ex copijs, ut antea uideri fortasse poterat, atque diuitijs. nam etsi in* Contareno, *singulari uiro, idem prius factum erat: eo tamen minus* Pontificis *animus apparebat, quo plures uarie interpretabantur* Pontificis *propositum. nunc uero ipsius constantia, omnia ad rem christianam constituendam referendi, ea fundamenta iecit, ut sperent omnes istam dignitatem, in qua te uirtus tua collocauit, multo apud omnes augustiorem, ac uenerabiliorem fore. quod utinam aliquot iam annis factum esset. istius enim ordinis auctoritatem non eam, quæ esse cœperat, sed eam, quæ olim fuit, hoc est amplissimam haberemus. de qua multa scriberem: teq; cohortarer, ut non tam a*

Paulo

Paulo III. quàm ab ipso Deo, in summorum patrum collegium cooptatum esse existimares; qui dies ac noctes excubares, & reip. christianæ diligentiorem, quàm tui ipsius, procurationem susciperes; nisi impetus animi tui diuinos penitus nossem. si quidem es ausus rei christianæ causa similia tuorum. quos ego ita miror, ut in religione nostra nihil æque mirabile multis iam sæculis extitisse putem. a quorum crudelissima, & nefaria cæde tu unus superfuisti; qui religionem possis singulari doctrina, dicendi grauitate, & copia, uita denique & factis difendere, & in priscam dignitatem uindicare. quod ut tibi maximæ curæ sit facere, non es rogandus: nam ἐνθουσιασμὸς ille tuus nos non latet. ut uero id facias, etsi prudentia tibi non deest, sed abundas potius; summa tamen mea erga te obseruantia, ac pietas hoc mihi facile concessit, ut te etiam atque etiam obsecrarem, nihil tu quidem in ratione uitæ mutares, (quid enim esse potest sanctius?) sed tamen eam & fideli custodia, & maiore diligentia contra iniquitatem temporum sepires, teq; nobis conseruares. quo enim diuturnior uita tua fuerit, eo in dies magis atque magis & utilem, & nomini christiano saluti, atque orna-

mento

mento speramus futuram. Priulo, & Rullo plurimam salutem adscribimus. utriusque lætitiam incredibilem cernere uideor. ideo utrique pariter, et utrique summe gratulor. Vale. Patauij, III. Cal. Ian. M. D. XXXVII.

Reginaldus Polus Cardinalis Lazaro Bonamico S. D.

VT debitores facere solent, mi Lazare, quibus non uoluntas, sed facultas deest, unde ex præsentibus fructibus soluant: si in temporis interuallo aliquam spem habeant, dies a creditoribus. aufe rendo, fidem suam tuentur: idem mihi tecum nũc faciendum iudico, qui cum gratulationem literarũ tuarum accepissem, statim quidem me debitorem respõdendi tibi agnoui. sed tamen, ut, si soluere de beam, dies aliquot abs te auferam, sit necesse: nec enim præsentes fructus eiusmodi sunt; ut ex his cõ fidam me, quod debeo, posse persoluere: quòd si uer bis me tibi satisfacere potuisse existimassem; cum epistolam tuam grauem, & plenam amoris, atque iudicij, atque pietatis accepissem; nunquam quidem mihi uerba defuissent, quibus facile tibi respon derem.

derem. quid enim magis promptum fuisset, quàm ita dicere? eam mihi gratissimam fuisse: & cum amorem tuum in me uehementer amplecti, tum pietatem in Deum, & ecclesiam eius, quam tuæ literæ mirabiliter exspressere, maxime exosculari. quæ cum ex animi sententia dixissem; quod ad uerba attinet, etsi nihil aliud adderem, non uideo quid desiderare posses. uerum cum, non uerba te, sed res expectare, tota tua epistola declares; ideo spatium a te mihi concedi postulo, dum a Domino istius uineæ, unde omnia, quæ uel ad mea debita persoluenda, uel ad tuendam uitam præstentur, depromere soleo, hoc impetrem, ut mihi de suis fructibus tantum donet, quantum ad liberandam meam apud te fidem sufficiat. hoc quidem ab eo petere non desino. cum autem totius bonitatis & benignitatis sit fons, & exemplar, difficile in hac mea postulatione futurum nihil timeo: sed ad celeritatem tamen si primo quoque tempore hoc debitum exigas; nihil quidem magis adiuuabit, quàm ut ipse quoque apud eundem D. aduocatum te meæ egestati præbeas. quod si feceris, non modo de meo debito tibi statim satisfactum iri auderem polliceri; sed, quia benignitatem eius sum expertus, magnum

quoque

quoque præmium tui patrocinij te repertaturum. quare non tam mea causa quàm tua peto, ut causam meam suscipias: hoc uero mea maxime, quod debitoribus molestissimum esse solet, ut me sæpius per literas, quando coram non potes, de debito appelles. in hoc credas mihi uelim, ex tuis in me officijs nihil te mihi gratius facere posse. VALE. ROMÆ, IIII. cal. Feb.

Lazarus BONAMICUS IACOBO SADOLETO CARD. S. D.

VTRVM *maior sit celebritas nominis tui, an eorum numerus, qui te uidere, atque ab eodem amari cupiunt, non facile iudicauerim. quod etsi tu ipse ex ijs literis aliqua ex parte perspicere potuisti, quas in hoc genere sæpe ad te scripsi: scito tamē multo plures esse, qui, me, ut se tibi commendarem, & per me in amicitiam tuam admitterentur, rogantes, id assequi nequiuerunt; non mehercule scribendi molestia, (nihil enim facio iucundius) sed uel quia facere iniuriam humanitati tuæ uideor; uel quòd uereor, ne nimia crebritate eiusdem generis literarum si non odiosam, at subinsulsam interdum tibi satietatem afferam. hanc uero dubitationem*

nem meam, aliaq; nonnulla, quæ scribi non oportet; singularis mea in Benedictum Rhambertum beneuolentia, & eiusdem Benedicti incredibilis non tam cupiditas, quàm quidam cupiditatis ardor tui uidendi, & per me in numerum tuorum adscribendi, uicit, ac sustulit. is cum hac epistola ad te uenit. adolescens est omnibus ijs rebus præditus, quibus ea ætas ornari potuit, scientia bonarum literarum, suauitate morum, uitæ innocentia, atque elegantia, obseruantia in primis, ac pietate erga similes tui; quos ut mortales Deos ueneratur. sed quid ego tibi plura de hoc? qui soles esse cum in alijs, tũ ĩn cognoscẽdis hominibus iudicio peracri, ac perpolito. iuuenẽ complecteris primum sua, deinde nostra quoque commendatione sic, ut in eo suscipiendo omnes illi tui summæ facilitatis, atque humanitatis lepores appareant. Paulus noster idem ut faciat, uehementer uelim. cui me etiam atque etiam cõmendabis. Vale. Patauij, XII. Cal. Maias, 1538.

Lazarus Bonamicus Ioanni Turitiano S. D.

LIBERE si licet loqui, amico præsertim, rectius Crucius, & Paccius, quàm tu. illi enim, cum scirent,

scirent, quibus fundamentis constituta esset mutua inter nos beneuolentia, quæ ad illos scripsisti, ut de tuo in me animo sæpius admonerent, ab egregia quidem ea uoluntate profecta, non tamen nostræ coniunctioni necessaria putauerunt; nosq; de omnibus cælauerunt. Tu uero quasi dubitans qua fide erga te sim, multa scripsisti, quæ ad nouas potius conciliandas, quàm ad constantes, & nulla ratione uiolabiles amicitias pertinebant. ignosco tamen tibi. nam urbis, in qua nunc es, morem non ignoro. cui etsi uideris Patauium anteponere, id tamen Romano more uereor ne feceris. cum Romano more dico, scis quos significem Romanos; ne mihi forte Crucius irascatur. Illud uere, nec Romano more mi Ioānes tibi uehementer persuadeas uelim; eam esse mihi opinionem de probitate, ingenio, doctrina, suauitate morum tuorum, ut, quæcunque tua causa facere possim, æque mihi iucunda futura sint, atque tibi. itaque statim ad Sadoletum scripsi, ut Paccius, adolescens optimus, ex tuis literis me admonuit. illi te dabis: complectetur, mihi crede, more non uulgari: cum & ipse egregius uir, & sua sponte similium tui cupidissimus, nostriq; amātissimus esse uideatur. cupio tamen scire, quantum

ponderis

pōderis testimonium de tuis uirtutibus meum apud illum habuerit. si qua in re præterea acciderit tibi opus esse studio, opera, gratia mea, ad illam clausulam reuocabis omnia; ut ne dubites, quin, quæ a me iure proficiscentur, eo animo proficiscantur, ut in eo me beneficium accepisse putem. hoc si feceris, gratissimum mihi feceris. Vale. Patauij, 8. cal. Decembris, 1533.

Lazarus Bonamicus instauratoribus Patauini gymnasij S. P. D.

LAVRENTII Falerij prætoris iussu hodie cum essem accersitus, recitatæ mihi sunt literæ uestræ: deinde grauis, & uehemens illius cohortatio subsecuta est, ut munus interpretandi persequerer. quibus omnibus sic mouebar, ut eodem tempore illius uoluntas, & contentio, uestra auctoritas, reip. Venetæ maiestas mihi occurrerent. Accedebat ad hæc naturalis quædam propensio, atque affectio in hæc loca, ubi natus, ubi educatus, ubi magna ex parte institutus essem. quam ob causam Patauinam academiam tanquam portum mihi delegeram, in quo, quod reliquum mihi uitæ est, conquiescerem.

sed,

ſed, in hoc meo tamen tanto gaudio erga uos nomenq́; ipſum Venetum, reſpondi prætori, quæ dignitas mea, quæ æquitas, quæ ratio literarũ, quas profitemur, cogebant reſpondere. Atque illa initia breuiter attigi, ut à Laurentio Bragadeno, alijsq́; nonnullis ſæpe rogatus hanc deſertam, & prope depoſitam prouinciam ſuſceperim: ut, biennio confecto, ampliſſima cum dignitate à Bononienſibus, XL uirorum cunctis ſuffragijs, enitentibus omnium nationum ſcholaſticis, conductus, Gaſpare Contareno, ſingulari uiro, & præſtantiſſimo ciue, ad collegium, ſenatumq́; ueſtrum referente, ne dimidio quidem ſtipendij Bononiæ mihi propoſiti, Patauij retentus fuerim. De Clemente VII. adiunxi, Pontifice Max. quem dux ampliſſimus, omni uirtute ornatiſſimus, immortalitate digniſſimus, Andreas Gritius mei incredibili deſiderio ardere cognouit, cum per Hieronymum Aleandrum tum legatum egit, ut mihi per uos liceret Romam ire, & meam, quantulacunque eſt, ſibi operam dare. ſummi me beneficij tantus ac tam diuinus princeps ſempiterna memoria obligauit, cum reſpondit, Venetam remp. ſuorum hominum, qualis ego eſſem, opera uti malle, quàm alijs quibuſcun-

que concedere. Commemoraui prouentum HS XXXVI M. & amplius, hoc est octingentorū Pannonicorū nummum, mihi delatum, ut essem in comitatu regis Ferdinādi, et magno animo sine ulla cunctatione repudiatum. Quibus rebus uidebar declarasse, quanti remp. uestram, otiumq; literarū fecerim; modo cum dignitate in eo esse possem: sed, an possem, iubebam illum etiam atque etiam considerare: quod idem ut faciatis, uehementer à uobis peto, clarissimi, atque optimi uiri. Biennio iam prouinciam, quam iudicio senatus gerebam, ex consuetudine aliorum renunciaram, non arroganter, ut multi, sed pro pudore ac modestia mea, proq; ea reuerentia, quam uestris magistratibus adhibendam semper putaui. Adij eos, qui in eodem magistratu ante uos fuerunt: aperui animum meum: rationes omnes uel officij mei, uel illorum æquitatis explicaui: omnia in unum caput conieci, cum dicerem aut esse unde stipendium alijs augeretur, aut deesse: si deesset; meam me in omni fortuna uoluntatem ad suam accommodaturum, & eodem contentum stipendio futurum quoad uiuerem: sin esset; me non uidere, quo modo aut illi iusti esse possent, si, in pari industria ac labore, ne dicam

multo maiore, alijs accessio stipendij atque honoris fieret; aut ego uir bonus, si, cum æque, atque alij, Patauinæ uestræ academiæ utilis esse nequirem, alteri non libenter cederem, qui existimationem assequeretur & gratia apud uos florentium, & auctoritate. Ab eo sermone ita discessi, ut singulo quoque anno integrum mihi esset sperare aliquid, nec deteriore conditione esse, quàm alij, qui uobis honestissime seruirent: nam & uobis potestas erat alterum substituendi, si quis forte magis probaretur, & mihi accipiendæ conditionis, si qua uberior, atque honestior oblata esset. quod tamen non feci, ac ne cogitaui quidem, cum possem uel maxime. in quo stultitiæ fui accusatus à nonnullis: ego uero non stultum sed bonum uirum esse arbitror, qui fide, ac pietate suos principes amplectatur, multoq; plus his tribuat, quàm ceteris. à quibus tamen si se uideat contemni, aliosq; quosuis sibi anteferri; eiusdem ignoscerem iustissimo dolori, si, cum ab illis desereretur, se ipse non desereret, & in omni uita uirtutem sequeretur, & decus. Hic uelim uos, qui ex omni senatu academiæ constituendæ causa delecti estis, selectissimi uiri, iudicare cuiusmodi fuerit ius postulationis meæ, quale te-

ſtimonium egregiæ meæ in remp. Venetam uoluntatis. Omitto, feriantibus alijs, interpretationes ſæpe meas: non iacto duarum, & amplius horarum quotidianum prope laborem meum, qui à me uno ſuſcipitur, præterea nemine: alia non prædico, quæ poſſem: quid autem per uos à ſenatu decretum ſit, diſcrucior, cum recordor. Alijs ſtipendij honor habitus: non reprehendo: commeriti ſunt: mihi non eſt habitus: feramus & hoc æquo animo: eſſe enim audio, qui mirentur, aut querantur potius, tantum huic generi literarum tributum eſſe: qui iudicio fortaſſe, non uoluntate, falluntur. de me nihil dico: neque enim eſt, quod dicam: et, ſi eſſet, non dicerem. ſatis mihi ſit quodcunque opinionis eſt de me, diuturnis uigilijs multoq; ſudore collectum. de ipſo genere ſtudiorum loquor: de quibus me nonnunquam cogitantem ſubit tacita quædam temporum miſeratio. Queruntur ne tantum tribui eloquentiæ ſtudijs? per quam populi Romani, atque omnium gentium nomen extat, atque illuſtratum eſt: qua omnis magna, atque ampla reſp. recte, & ordine adminiſtrata eſt, Rhodiorum, Athenienſium, Romanorum. huius lumine, ac ſplendore cunctæ artes, & diſciplinæ & lucent

lucent ipsæ per se, & ad communis uitæ usum transferũtur: per hanc leges latæ, abrogatæ aliæ, aliæ antiquatæ sunt: bella è rep. suscepta, pax facta, fœdera icta, optima quæque constituta. quod si hoc, superioriq; tempore suus honor ei tributus non est; fuerit uel iniquitas hæc uel cæcitas temporum: apud ueteres certe, in illa ingeniorum, eruditionisq; felicitate, tribuebatur; & hoc studium ceteris studijs anteponebatur. At nemo ante te eodem pretio conductus fuit. Quid? nihil noui instituendum? nihil corrigendum, etiam ueteri consuetudine usurpatum? semper temporum ratio consilia prudentum gubernauit. Hispanus philosophus quãto præmio accitus est Patauium à uobis? multo maiore quidem, quàm alij ante se. si nemo ante me tantum præmij est consecutus: nemini ante me duplex interpretandi onus impositum est. Bononiæ unius lectionis professori tantundem ferè mercedis persoluitur. Florentiæ, in tanta tenuitate, atque oppressione ciuitatis, quantum decretum sit hoc anno his studijs, non ignoramus. Venetijs uero, in tanta dignitate, atque amplitudine imperij, quis erit qui se ab illis laude uinci patiatur? sed sit, ut quisque uelit, & iudicat de hoc genere studio-

rum. in petitione honoris omnes mihi præferri, æquo, ut dixi, patiamur animo: tempus certe, quod liberum hactenus mihi fuit, relinquatur. quod cum ex illo senatus consulto, quod, uobis referentibus, proxime factum est, concessum non sit: quid aliud fuit, quàm hoc toto triennio rationem sperandi aliquid à uobis mihi adimere, & omnes quasi neruos industriæ cum dedecore, atque ignominia præcidere? Vos non accuso: fortunam meam incuso, negligentiam condemno. sed tamen sine uoluntate mea nec fieri debuit illud, nec potuit. itaque illud decretum senatus tanquam ratum non agnosco: rescindo, antiquatum uolo: in quo non solum uoluntas mea non adfuit, sed etiam repugnauit. uestræ tamen, ornatissimi uiri, senatusq; auctoritati, & imperij Veneti maiestati hoc dabo, ut sponte, non aliquo decreto, conditionéue alia uestra obligatus, sed omni uinculo solutus, honoris tantum atque amplitudinis reip. uestræ causa, quo possum studio & labore, academiæ uestræ succurram, uestramq; uoluntatem non solum meæ, sed honori etiam meo anteponam. Vestrum erit, pro prudentia, & bonitate uestra statuere, quo modo decreto senatus non tenear; deq; eo aliquid ad me

scribere:

scribere: quo & meam hanc uoluntatem uobis gratam esse intelligam; & sperare posthac possim magnæ uobis curæ fore honorem meum: quem uobis magnopere commendo, & trado. Pataui, VII. idus Nouembris, M.D.XXXVIII.

Lazarus Bonamicus Rinutio Farnesio, Priori Veneto, S. D.

EX *sermone Ioannis Cornelij, & ex literis multorum tardiorem reditum tuum fore cognoui, quàm putaram. quam ob causam mihi ad te scribendum esse existimaui, non tam ut te admonerem, (monitores enim habes domi Alexandrum Mantiolum, & Galeatium, prudentissimos, & tui amantissimos uiros) quàm ut declararem me ualde sollicitum esse de tua gloria; quæ tibi ex tanto ingenio, tantaq; memoria proposita est: quam, obsecro te, mi Ranuti, ne patiare tibi eripi alicuius rei incuria. Magnum est, natum esse in tam nobili familia: maius, habere auum Pontificem, in omni genere Pontificij muneris excellentem: longe uero maximũ, ingenij uirtutisq; laudibus florere: quas tu unus facillime omnium consequeris, si eorum pa*

rueris consilio, qui ætatem tuam docere & possunt, & uolunt: quibus te hactenus paruisse, nunquam, ut arbitror, te pœnitebit. nos quidem, qui te ut filium amamus, carumq;, habemus; quiq; cupimus splendore literarum per te nostra tempora illustrari; breue est, quod tibi hoc tempore suademus: ut habeas in memoria, atque in pectore illud Theophrasti, πολυτελὲς ἀνάλωμα εἶναι ὁ χρόνος. uelim igitur, et, si id pateris, rogo, ut bonam partem huius temporis, quo abfueris, audiendo, scribendo cõsumas. nos autem cum te alio modo iuuare nunc non possimus, scribendo certe, tuis studijs non deerimus; ut hoc genere exercitationis non mediocriter proficias. neque enim dubito, quin rescribas ad me: quod mihi erit gratissimum. Vale, & Pontifici Maximo, si quando id commode fieri poterit, me etiam atque etiam commenda. Patauij, VI. idus Aprilis, M. D. XLIIII.

Reginaldus Polus Iacobo Sadoleto S. D.

LEGI tuas ad Lazarum nostrum scriptas literas, nonis Iunijs abs te datas: quæ me magna uoluptate affecerunt; cum quòd ea, quæ uolebam; de

ualetudine

ualetudine imprimis tua, de dulcissimo illo, quo tu frueris, & maxime delectaris, otio nunciabant; tum uero, quòd ex iisdem tuum in me amorem, quem ad summum peruenire cupio, in dies augeri clarissime perspexi: idq; mihi eo iucundius fuit hoc tempore ex tuis literis intelligere, quòd propter prætermissum iam diu scribendi officium, cum præsertim suauissimis & humanissimis tuis literis essem inuitatus, satis quidem habebam, si animum tuum nulla ex parte offendissem: ut uero noua tui amoris incrementa audirem, id uero nunquam expectare sum ausus. etenim, ut uere dicam, simul ac ad eam partem epistolæ tuæ legendo peruenissem, in qua nominis mei mentionem facis; statim animum meum perculit recordatio negligentiæ in scribendo meæ; cuius ualde suppudebat, neque, quicquam quod de me scriberes, nisi ut mecum de hac scribendi tarditate expostulares, expectabam. tu uero, tantum abest, ut ulla in re me accuses, ut ultro me testimonio tuorum scriptorum, & nouo genere laudis ornes. quod quid aliud esse potest, quã abundantia quædam tui erga me amoris? quæ facit, ut uel non uideas, quæ minus officiose erga te facta sunt; (sic enim amantes in erratis amicorum

obcæcari



obcæcari solent) uel, si uideas, ita humanitate tua quadam obruis, ut nusquam extare uelis: sed quo maior est hæc tua in me humanitas, uel potius indulgentia: eo magis mihi cauendum esse uideo, ne quid temere, uel neglienter faciam, quod non ex omni parte tibi gratum futurum sit. si uero ita negligẽs hoc tempore in hoc scribendi officio uideor, ut etiam tui oblitus existimari possim; qui nec mea sponte feci, quod maxime ad officium erga te pertinebat meum; nec exemplo tuorum, qui ad te sæpe scribunt, quos hic familiares habes, admoneri potuerim, ut tuis aliquando literis responderem: hoc tibi primum persuadeas uelim, quod sane uerissime potes, me tui obliuisci non posse; quippe qui mihi in uisceribus, etiam antea quàm de facie notus esses, hærebas, propter summam, quam de tua uirtute, & doctrina ex dignissimorum hominum testimonio conceperam, opinionem. ut uero tui propius cognoscendi facultas data est, atque ad interiora illa tua animi ornamenta penetrandi, quæ partim in congressu, partim ex scriptis tuis, qualia essent, facile perspexi: tanta me tui admiratio cepit, ut non modo te amandum mihi, atque obseruandũ, sed in omnibus & studijs, & actionibus meis,

quasi exemplar aliquod praeclarum, mihi imitandum proposuerim. quod equidem libenter facio, & si minus quàm cupio proficio, (nec enim me fugit, quàm longe ab exemplari absim) tamen, me non aliter sentire, sed eò maxime conari, norunt omnes, qui me, & consuetudinem meam norunt, ac meos de te sermones, quos frequentes cum amicis communibus habeo, audierunt. Quae cùm ita sint: non, quòd tui sim oblitus, quē sic in oculis gero, quem in ore, & amore semper habeo, in hoc officio erga te deliqui: sed, si ueram causam exprimere debeam, quòd eius facultatis sum oblitus, per quam tibi, & meo officio satisfaciendum esset, eo factum est, ut nullas a me literas acciperes, cum reliqui, qui in hoc genere ualent, ad te saepe scriberent. defecit enim me iā pridem, Sadolete, haec facultas scribendi, tanquam aquula quaedam, quae tenui alueo fluens, si cura, & diligentia adhibeatur, cursum tenet suum; neglecta uero, euanescit. sic mea scribendi ratio, quàm diu curae mihi fuit, etsi tenuiter semper, nec satis pure fluebat, tamen secum quoquo modo animi mei sensa ferebat: quae nunc, omissa pristina diligentia, ita exaruit, ut, cum animi cogitationes ad amicos deferre conor, saepe me
haere-

hærere sentiam, plerũque uero tanquam in sicco destitui, ut ultra progredi non possim: quod quidem me pudet scribere. sed quid facerem? nosti genus studiorum meorum, quibus me ijs proximis annis addixi, quàm imperiosa ipsa sint, quàm non facile societatem aliorum studiorum admittant: quibus cum parere necesse habeam; ad illas elegantiores literas uix sane oculos conuertere audebam. sed tamen in Italiá, ubi has primum noui, sperabam me, etsi non plenam uacationem, (nunquam enim hoc postulassem) at certe tantum temporis, a seuerioribus dominis impetraturum, ut cum ueteribus illis amicis, quasi adolescentiæ meæ socijs, & sodalibus iucundissimis, quos longo interuallo non inuiseram, familiaritatem renouare possem. atque hac spe fretus, Lazarum nostrum, quem magistrum, & quasi tutorem harum ingenuarum, & dulcissimarum artium cognoueram, in contubernium uocaui; ut, eo duce, & adiutore, facilius, quod uolebam, consequi possem. tandem uero, quod impetraui spatij, tantum fuit, quantum solent duriores magistri ad lusum, iocumq; pueris suis concedere. sic enim mihi, ad iuuenilia studia libenter reuertenti, subsiciuas aliquas horas dabant. quibus tamen

contentus esse potuissem, nisi has ipsas sæpe inter-rumperent. tandem uero ita penitus præciderunt, ut ne punctum quidem temporis ad has artes recolendas relinquerent. quare, si ab illis relictus sum, quos ipse prior deserui; si ipsæ fructum mihi denegent suum, qui operam ipsis prior denegaui meam: mirari certe non debes. cum Lazaro uero nostro sic iam uiuo, ut, præter suauitatem consuetudinis, in nulla re eius opera utar. sed mirum in modum eius me consuetudo delectat: a qua plane non nisi inuitus discedo. cui tamen si persuadere possem, ut se aliquando ad studia nostra transferret: nihil æque absentis desiderium leniret. quanquam autem tum maxime iucundum esset, una cum eo in iisdem literis uersari: tamen nunquam non una esse me existimarem, si eadem utrunque nostrum studia tenerēt. atque hoc cum eo agere cum sæpe essem conatus, nunquam tamen aperte eum aggredi sum ausus. solus enim non ualeo, res enim haud parua est: in qua persuadenda, amicis adiutoribus, & auxiliatoribus opus habeo. atque utinam, Sadolete, te mihi socium, dum hoc efficerem, adiungeres. tu certe unus instar multorum esses: immo tu solus, si huc incumberes, totum negocium, per te conficeres.

scio

scio enim quantum iudicio tuo, quantum literis, quantum amori tribuat Lazarus noster. ut uel sola auctoritas tua, quo uelles, eum adduceret. Quid ergo? si hæc sic se habeant; cur optantis potius, quàm rogantis personam sumo? cur non apertè in re honestissima, & mihi gratissima, in qua maxime abs te adiuuari possum, opem tuam imploro? Quia deterreor plane ea particula tuarum literarum, in qua præsentem Lazari statum, & conditionem illi probare niteris. hortaris enim ut in sua statione maneat; ut, cum eam prouinciam instituendi iuuenum animos in politioribus literis susceperit, eam ne relinquat, nusquam ab ea discedat: quam affirmas maximam illi gloriam, & Italicæ iuuentuti utilitatem summam allaturam: hæc enim ut a te prudenter, & amice scripta sunt; sic mihi, ne quid contra istam sententiam rogem, omnem prope occasionem præripiunt. nec tamen me contineo, quin hoc abs te petam, ut, quoniam ad communem amicum hæc pertinent, liceat mihi tecum pauca quædam quasi conferendi gratia scribere. quod dũ facio, de facilitate tua nihil sane dubitabo. Principio igitur non te fugit; etsi Lazarus magnam laudem ex hac eleganti, quam nunc profitetur, do

ctrina sit consecutus; quam in dies cum maiori eorum fructu, qui eum audituri sunt, augere potest; tamen, non in hac sola eius industriam esse uersatam, sed multo maiora amplexam, ex quibus non minus, quàm ex ijs, eius laus enitescere potest; fructus uero longe ampliores reportarent ij, qui fructum ex eius doctrina peterent. quis autem te melius nouit, cui, propter familiaritatem uestram, eius uitæ cursus notissimus esse debet, quantum studij, temporisq; in philosophia posuerit? quid uero iam habent oratorum, uel poetarum literæ uel dignitatis, uel utilitatis, si cum philosophorum libris comparantur? quæ, ut tu optime omnium nosti, si quid in se contineant, quod hominem studiosum uel ornare, uel iuuare potest, ex horum fontibus hauserunt. atque ex horum est doctrina non minus, quã ex ea, quam profitetur, quod Lazarum præceptorem tam gratum, acceptumq; suis auditoribus reddit. sed quid eum Pomponatius, uir in philosophorum libris celeberrimus, tot annos exercuit? quid tot exhausti labores in ueterum philosophorum libris euoluendis; si tandem philosophiam in rhetoris, uel potius grãmatici officina sit conclusurus, si nihil amplius ab ea expectetur, quàm ut grãmati-

ci

ci scholæ, & puerili doctrinæ seruiat? Ama me, hoc non libenter uideo. et, ut nihil iam de amico loquar; hanc tantam philosophiæ illatam iniuriam reticere non possum; præsertim apud te philosophiæ ipsius patronum; neque certe iam dubitare, auxilium tuum implorare; ut una opera amici dignitati, & philosophiæ honori consulas. quod profecto facies, si a rethorum scholis abductum in philosophiæ eum gremio, unde aufugit, reponas. sed quorsum hæc iam ad ea studia, quæ paulo ante mihi tua ope communia cum amico nostro tantopere me cupere ostendo? an tam cito uoti mei, & desiderij sum oblitus? minime quidem; sed, cum illud difficilius esset; quod facillimum est tibi propono. quod si perfeceris, neque uoto meo prorsus frustrabor, & meo desiderio maxime satisfiet. etsi enim illud omnino iucundius esset, in ijsdem studijs, quasi in ijsdem ædibus, cum eo uersari: tamen, quando hoc consequendi spes est tenuior, si uel ad uicina studia eum migrasse intelligam, delectatione carere non potest, præsertim etiam cum, hac migratione, eius & dignitati, & utilitati maxime consulitur. cui enim dubium esse potest; si uel ad eam partem philosophiæ se conuerteret, in qua præcepta uitæ

traduntur

traduntur, & animi excolendi ratio ostenditur, quanto maiori cum fructu, et dignitate hic commoraretur, quàm si apud oratores, & poetas manens, orationis formandæ præcepta ex M. Tullio, uel agri colendi ex Virgilio repeteret: in quibus totus nunc uersatur. et tamen si ad illam maxime germanam, & uere ingenuam philosophiam se conferret, ut eius etiam præceptis obediat: diutius sane à nostris studijs abesse non poterit: nec enim ab illa retinebitur: quæ se inopem, & minime dignam, quæ animum ueritatis, & uirtutis cupidum, perpetuum hospitem, & contubernalem habeat, ingenue fatebitur. ut enim Plato, quem quasi parentem huius philosophiæ dicere possumus, cum esset interrogatus, quatenus suis præceptis insistendum esset, quã diu autem eius doctrinæ obtemperandum; respondit; eatenus dum sacratior aliquis in terris apparuerit, qui uiam ueritatis patefaceret; cui tandem deo esset credendum: sic, cum sacer ille iam pridem se ostenderit, qui stabilem, & nunquam intermorituram doctrinam reliquerit, qui se Deum declarauerit; quid putãdum de eius philosophia? an non parentis sui uoci obtemperatura est? ut alumnos suos ad hunc amandet? ut se, & sua omnia illius



fidei, & tutelæ committat? sponte autem se suo imperio abdicet? Equidem non dubito, iampridem amicum nostrum has uoces audiuisse; sed, ut modestum discipulum, omnia magistræ suæ tribuentem, non satis aduertisse, quæ de sua inopia, & tenuitate ipsa diceret: quam nunc interpres eius uoluntatis, si doctoris personam apud eam obtineat, melius animaduerteret, clariusq; perspiceret. quid enim, ut ueritatẽ quærentes uere loquuntur, philosophia habet, in quo animo ueritatis studioso satisfacere possit? quid illa primum nouit, nisi quod a sensibus fallacissimis magistris acceperit? qui ut nihil fallant; quantulum est, quod conferre possunt ad ueritatem ipsam perspiciendam; uel quantum potius ad obscurandam ueritatem proficiunt? quid enim magis rationis lumini officit? quod ratione ipsa teste dico: quæ cum se maxime ueritatis inuestigationi dat; tum maxime dat operam, ut se quamlongissime a sensibus, tanquam maximis impedimentis, abstrahat. sed quantulum est, quod sine ijs progredi potest? quàm cito fatigatur ratio? quàm cito ipsa ad sensus redit? si redire eam dicere debeam eò, unde nunquam discesserit. ut enim paululum quasi temporis momento emineat; paululum etiam se su-



pra

pra sensus, quasi supra fluctus, quibus maior pars hominum immergitur, caput exerat: nunquā tamen eos penitus relinquere, neque ita se ab ijs liberare potest, ut in ueritate contemplanda non semper aliqua a sensibus emissa species, sese ueritatis lumini, tanquam nebula è terra orta, aliquando se solis lumini interponat. ubi est ergo illa sincera, & pura ueritatis facies, in qua contemplanda ueritatis studiosus acquiescere potest? cuius clarus aspectus, non aliquando, ut solis, sed perpetuò, sensibus caliginem, & tenebras offundentibus nobis, aufertur. an hanc nobis philosophia ostendere pollicebitur? & tantam suam ignorantiam cum suorum alumnorum pernicie dissimulabit? an potius, ut ipsa ingenua est, ingenue fatebitur, se in ueritatis studio, homini eius contemplationis cupido minime satisfacere posse? at fatebitur plane, & iā pridem fassa est. neque enim unquam ulla uox notior, aut uerior est à philosophia emissa, quàm illa: animum humanum nulla arte humana, nullo studio humano ad ueritatis perfectam cognitionem perduci posse: se uero, si aliquid conducat, si quicquam adiuuenti in ueritate indaganda præbeat, eo maxi-

me iuuare, si nobis persuadeat nos nihil scire posse: hoc enim solum de ueritate compertum habere: cætera etsi probabilia uideantur, & prope ad ueritatem accedere, nihil tamen certi habere, neque aliud se dicere posse. Hanc ergo tam præclaram, et ingenuam philosophiæ confessionem de ueritate, & quid ipsa præstare possit, cum habeamus; & cum iam cœlitus nobis ueritas se ostenderit; cum Deus ipse, ignorantiæ suæ sobolis, & erroris in ueritate inuestigunda misertus, fontem ipsum ueritatis nobis aperuerit, a quo sacræ illæ artes fluxerũt, in quibus nihil non sincerum, omnia pura, & ueritatis plena sunt: quò potius nunc philosophia alumnos suos, si suæ ingenuitati constare uelit, quã ad has sacras arteis mittet? qui in ueritatis studio satisfieri cupiant, non ut ab illis scientiam ueritatis hauriant, (neque enim animus humanus, sensuum caligine circumfusus, eam aspicere ualet) sed ut fidem ijs, quæ de ueritate dicuntur, accpiat, omni humana scientia, propter auctoris nobilitatem, qui nec fallere, nec falli potest, superiorem, & certiorem. Quare, ut eò iam reuertar, nec causam meã supra neglexi, cum amici nostri studium ad philosophiam per te conuerti suadebam, quanquam nihil

hil prorsus philosophiæ causa scripsi: hoc enim persuasum habeo; qui ingenue philosophari uelit, ea, quæ humano ingenio inuenta est, philosophia diutius contentum esse non posse: quæ nec se ipsa contenta est, sed hanc cœlestem respicit, ab hac opem flagitat, sine qua nunquam consistere potest, ut nec illa humana sine diuinis, & ad hanc alumnos suos amandat. Quare, si uel huic paululum sese dederit; eum paulo post ultro illam cœlestem philosophiam requirentem ĩam uidere uideor, a qua cum edoctus, & instructus erit, si postea ad philosophiam descendere, & ἀωάρταν illam suam ornare placuerit, quoniam sic genus uitæ instituit, ut, humana docendo, hominibus prosit; neque hoc illi interdictum erit; quin tum maxime illi liberum, & tutum erit, per omne genus artium ire, posteaq; sacras illas arteis, quæ ideo a fonte ueritatis sunt emissæ, ut quasi norma reliquis omnibus esset, terminosq; præscriberent, plene gustauerit. Iam uero cerno animo, quanto omnia uberiora, & splendidiora in philosophia sint futura, si ijs sordibus, quibus a sensibus, dum ab ijs solis cognitionem trahebant, contaminari necesse fuerat; sacris illis fontibus fuerint purgata; tum denique solidum, & uerum fructum suis cultoribus

ribus darent. Habes nunc Sadolete quæ ad te, non tam quidem conferendi causa, quàm impetrandi, scribere uolebam: ut, in ueritatis studio persequendo, amicus noster eò tuo consilio dirigatur, quò maxime dignum est animum ueritatis studiosissimum perduci. in quibus scribendis iampridem me ineptum sentio; qui de huiusmodi rebus tam uerbose tecum disputo; a quo hæc melius doceri debeo. sed certè indulgentia tua hanc spem mihi dat, si ante ad silentium meum conniuebas, quod maxime contra officium fuit, nunc, cum officio fungor, uerbositati facile ueniam daturum. quanquàm haud scio, an maius crimen faciliorem ueniam mereatur. illud enim te non offendere potest: hæc uero orationis prolixitas quo pacto te non offendat, etiam si patientissimas aures habeas, uix uideo, maxime si scias qua moderatione uerborum, uel potius quo silentio cum Lazaro ipso, ad quem hæc maxime pertinent, hac in re sum usus: quo cum uix unquã sum ausus ijs de rebus sermonem instituere: nulla uero re tam deterrebar, quàm pudore. nec enim decorum uidebatur, cum ad annos meos respicerem, et tenuitatem doctrinæ, atque iudicij agnoscerem, hominem id ætatis, & literatissimum de literis, prudentissimum

dentissimum autem de instituendo uitæ genere admonere: quanquam multa me, uel potius omnia, quæ præterea in eo uidebam, me maxime, ut id facerem, inuitarent, summa uidelicet humanitas, morum, uitæq; integritas, animus ab omni libidine, & ambitione prorsus liber, nullius rei præterquam scientiæ, & uirtutis cupiditate flagrans: pro quibus adipiscendis nullos labores, nulla etiam pericula, si res ita ferret, est recusaturus. hæc uero cum maxima inuitamenta essent, ut de cœlesti hac philosophia cum eo agerem: nunquam tamen pudorem meum uincere potuerunt, ut uel uerbũ cũ eo de hac re facere, nisi forte oblique animum eius tentarem; cum doctissimorum hominum, quos in summa ueneratione habet, & maxime tui ipsius studia illi proponerem; ut exemplo eum uestro admonerem, quò tendere debet. aperte uero nunquam sum ausus: & nunc multo maiora apud te audeo. quod tamen, non audacia fretus, facio, sed libertate quadam, quam mihi dat tua indulgentia, & quòd maxime te dignum hoc munus iudico, ut amicum hominem studiosissimum ad cœlestem hanc philosophiã cohorteris, idq; illi beneficij priuatim nunc conferas, quod paulo post, edito Hortensio tuo, quem li-

brũ auide expectamus; ubi de optima philosophádi ratione scribis, commune omnibus futurum speramus: non solum quia ita res exigit; sed quia mihi aliquando es pollicitus. hæc uero accuratius scripsi, quærens consolationem aliquam digressus mei a Lazaro; a quo sane discedere ægro animo fero: nullam uero maiorem inuenio, quàm si ad uiciniora nostris studia, tua opera perduci posset: quod maxime in his literis ago: discedo uero Venetias, cum ob alias causas, quæ me urgent, tum uero maxime, ut duorum clarissimorum hominum consuetudine fruar: quorum alterum, qui est Episcopus Theatinus, uir sanctissimus, & doctissimus, tibi notum esse non dubito; ex eius autem honorifico sæpe de te sermone amicum tuum esse cognosco: alter uero est Gaspar Contarenus, patricius Venetus: quem uirum si tu nondum nosti, magna certe uoluptate cares. qui enim eorum amicitia maxime delectaris, in quibus uel umbram uirtutis perspexeris; quanto maiorem delectationem caperes ex eius uiri amicitia, qui ad præstantissimarum artium omnium, quæcunque uel humano ingenio inuentæ, uel diuino beneficio nobis datæ sunt, perfectam cognitionem, omne uirtutis decus adiunctum habet? quem

quidem

quidem iampridem amatorem habes: ut uero amicum etiam habeas, in tua potestate est positum. sed ualebis, & nos amabis. Pataui*j*, XV. *cal.* O*ctob.* M.D.XXXIIII.

Regin*aldus* P*olus* I*acobo* S*adoleto* S. D.

GRATIAS *tibi agam prius, ita enim rerum ordo, & mei officij ratio postulat; deinde ad mandata tua conuertar.* N*eque uero illa solum me ad agendum gratias impellunt, quæ tu in me præsentem officia contulisti, cum me domo, atque hospitio, honorifice sane, lauteq; acciperes, cum animum meum tui congressus cupidissimum, erudito illo, & pleno grauitatis sermone retineres, & plane pasceres, atque maximis de rebus quærentem, & hæsitantem omni prorsus scrupulo, & dubitatione liberares; quæ quidem quoties in mentem reuoco, reuoco autem sæpissime, quod de* P*latonis cœna dixit* T*imotheus, cum ab eo inuitatus esset, & eundem postero die uidisset, cœnas* P*latonis non modo in præsentia, sed in posterum quoque diem fuisse iucundas; idem ego multo prclixius de tuo hospitio dicere possum, non modo in præsentia fuisse iucun-*

dum

dum, sed in aliquot menses iam fuisse, atque idem, ut spero, in multos annos futurum. At uero *cum a tua consuetudine, cuius ego suauitatem tum primum quasi gustare cœperam, tam cito dirimi, atque tantorum locorum interuallo disiungi animo sane moleste ferrem, cum nec mihi tum integrum esset aliter facere, rationibus meis sic ferentibus, & in hæc loco pene trahentibus, ne huic quidem dolori meo defuisti: inita enim a te ratio est quemadmodum eo quo tantopere delectabar non usquequaque priuarer, sed ut absens aliqua ex parte, te quasi fruerer, adiŭcto mihi eiusmodi itineris comite, qui te mihi quotidie repræsentabat, qui iucundissimos tuos, & grauiss. sermones sine intermissione referebat, nec sane intermori eam, quam ex consuetudine tua uoluptatem cepi, ullo pacto sinebat: quis enim te melius exprimere potuit quàm tu ipse, quàm scripta tua, quàm liber ille, quem me tabellario* Bembo *reddi uoluisti, in quo prudentia tua, grauitas tua, doctrina tua, quibus maxime delectabar, elucent; hunc certe mihi comitis loco accepi, qui non modo mihi in breui illa, & paucorum dierum uia, quæ in* Italiam *properanti instabat, pro uehiculo fuit, quod de facundo comite dici solet,*

ſed in maximo illo totius uitæ curſu, quo maxime, & periculoſiſſime laboratur, & uehiculi, & ducis locum facile obtineret. Ex quo quidem hanc primo aſpectu uoluptatem cepi, quod mihi cognitionem omnem de eo in quo ingreſſus eram itinere, impedito ſane, & moleſto, abſtulit, ac prorſus obliuiſci fecit, meq́; totum in contemplationem præclari illius itineris abduxit, quod te duce, & monſtratore adoleſcenti ad laudem, & decus tendenti, certum, & glorioſum proponebatur. in quo quidem ualde delectabar, cum quaſi oculis ſic animo cernerem, & grauiſſimum, & prudentiſs. ſenem, & peritum gubernatorem, expertum & locorum, & maris, atque ſiderum, & tempeſtatum omnium, ſic animo prouidum, ſic omnia pericula longe lateq́; proſpicientem, ut nihil non prædictum, quod uel impedire tam præclarum curſum, uel in periculum adducere poſſet, nulli non rei abs te proſpectum eſſet, qui non cuiuis adoleſcenti in uulgi moribus educato, uulgaribus parentibus orto, et qui filiorum educationem in poſtremis haberent, te ducem profitearis, ſed illi, qui ab optimis parentibus, pene antequàm in lucem puer ederetur huic tam præclaræ expeditioni fuerit deſtinatus, cuius educationi Na

turæ

tura non obsisteret, sed suas dotes benigne largiendo se fautricem sponderet, qui ab incunabulis sic eductus, sic literis, & moribus formatus fuerit, quemadmodum est a te sanctissime, & prudentiss. præscriptum. hunc uero talem cum tibi ipse oratione formasses, uel potius Natura sic formatum, & parentum uotis huic rei destinatum cum Paulum tuum accepisses, quid non uoluptatis præbuit præclarus ille, quē recenses, in eo instituendo apparatus? Deinde cum ex puerili institutione, tanquam ex angustijs, eum eduxisses, & in latum illud quod adolescentis institutioni quasi pelagus patebat adduxisses, tum sane maxime delectabar, cum te secundiss. illo orationis cursu, plenis eloquentiæ uelis, ita omnes artes, doctrinasq; percurrentem uiderem, ut cum nihil tibi tum aliud propositum esset, nisi ut earum artium sedes, & loca, ubi ad tēpus insistendum, atque ad maiora, & ulteriora tendenti commorandum esset, monstrares, sic ea oratione illustras, sic artium singularum uires, & uirtutes explicas, ut prope monstrando in earum iam possessionem immittere adolescentem uidearis, atq; eas recensendo tradere. hæc certe cum magna delectatione spectabam, sed quo magis me delectabāt,

eo sane auidius expectabam, quo tandem præclarum istum cursum, quem tantopere instituisti, dirigeres, quem tibi portum proponeres, in qua expectatione statim se mihi in conspectum obtulit philosophiæ portus, quo te uelis, uentisq; properare, atque illuc paulo post alumnum tuum relictum uidebam; præclarus ille quidem, & omnibus alijs portus præferendus, si antiquis illis Aristotelis, & Platonis temporibus, uel etiam si recentioribus M. T. Ciceronis, hic cursus abs te institutus foret, aut si ipsi gubernatores adolescenti tuo dati essent, nec illi profecto alium elegissent, nec facile tum alius tutior, uel commodior reperiri potuit, sed cum ijs felicibus temporibus cursum instituisti tuum, in quibus ut multi terrarum noui tractus, insulæq;, & portus, antiquitati incogniti, inuenti sunt, pluribus eorum, qui antiquitus florebant, uel mari obrutis, uel uetustate consumptis, sic etiam animorum portus multo tutior, & tranquillior Deo ipso, & eodem Dei filio duce, & inuentore nobis apertus sit, quem antiqui ignorabant, cumq; Sadoletus ipse, qui in hoc cursu gubernatoris locum obtinet, & si appulsus quidem ad antiquorum portum, tamen præteruectus sit, nec diutius ibi commoratus

quam

quàm ut necessaria sibi inde sumeret ad reliquum cursum perficiendum, in hunc tandem, qui a Dei filio monstratus sit, se receperit, ubi nunc summa cum animi tranquillitate, & securitate uiuit, quid est quod non Paulus tuus merito tecum conqueratur, si in alieno, & infido iam portu eum relinquas cum te ipsum in optimo, & tutissimo collocaris? Ego certe illius uerbis tecum expostulare non dubitabo, si iuuenem omnibus uel naturæ dotibus, uel doctrinæ præsidijs tua opera instructissimum, & plane talem, qualem tu parentum uotis expetendum proponis, fluctuantem iam in philosophiæ portu reliqueris, qui ne portus quidem iam nomine dignus, sed, ut de Tenedo dixit poeta, Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis. Non certe nobis tantus iste in eo educando apparatus, nec præclara ista tua institutio, talem nobis promisit, qui præcepta tandem uiuendi à philosophis peteret; aut qui animi securitatis causa in illorum portum confugere necesse haberet, sed qui uel principibus ipsis philosophorum, si iam reuiuiscerent, nouum, & præstantius uiuendi genus ostenderet, quo illi nunquam aspirare potuerunt; sapientiam autem & animi tranquillitatem longe aliam, & aliunde quàm

a philo-

à philoſophiæ præceptis petendam, tanto præſtantiorem, & diuturniorem ea quàm philoſophia promitteret; quanto præſtabiliora ſunt omnia diuina humanis. Quare age mi Sadolete noli promiſſo tuo in tali iuuene inſtituendo ſatisfactum putare, ſi eũ ad philoſophiæ limites perduxeris, aut etiam ſi philoſophiam ipſam integram tradideris. ſoluas inde oportet, neq; unquam defatigari, donec in ſacrum illum portum, in quo tu ipſe ſumma cum animi tranquillitate uiuis, perduxeris. nec enim conuenit tam præſtanti educationi, & illi quem omniũ opinione, hæredem uirtutis, & ſapientiæ tuæ es relicturus, in alio quàm quo ipſe tabernaculum uitæ poſueris, portu conquieſcere. Hæc ad te uerboſius ſcripſi, uel tuo imperio obſecutus; qui me etiã de illo tuo libro, quem ſatis admirari non poteram, quid ſentirem ad te ſcribere uoluiſti, uel meo in ſacras illas Muſas amori ſatisfaciens; quas abs te illaudatas, & tacitas præteriri; cum reliquas omnes artes, & diſciplinas dignis præconijs ornaris, uix æquo animo ſpectabam, uel etiam quod Lãgeo noſtro, cuius liberis inſtituendis iſte abs te labor præcipue ſumptus ſit, hoc imprimis gratum fore non dubitabam, ſi quod in philoſophia, & reliquis

artibus facis, ut singularum laudes attingendo ad earum studium adolescentum animos erigas; idem in theologia facere non neglexeris, in qua reliquae omnes, ut in oceano flumina, se immergere solent, & debent, & certe conuenit, ut quae te ipsum maxime ornet, & in dies magis magisq; ornatura sit, cum de ijs, quae hominis animum cognitione colunt, & perficiunt, sermo sit: eius laudem haudquaquã silentio inuoluas, praesertim etiam cum ad Lãgeum scribas, quem scio, quoties negociorum fluctibus, quibus in aula uersantem iactari necesse est, emergere datur, in nullo libentius, quàm in theologiae portu conquiescere. sed tu meae loquacitati ignosces, qui cum sancte adiurare possim, me a quatuor iam annis ne tantum quidem latine legisse, quantum nunc ad te scripsi Theologorum libris auocatus, quos tamen in hoc genere latinorum scriptorũ non pono, in hanc insolitam latine scribendi loquacitatem erupi; sed ut loquendi tecum, sic etiam scribẽdi ad te, quo cum absente quasi loqui uideor, dulcedo quaedam me longius ultra epistolae fines prouexit, cui tu pro tua humanitate ignoscas oportet. Nunc ad tua mandata uenio, in quibus eo breuior ero, quo pauciora mihi scribenda reliquerunt eorum

rum literæ ad quos mihi mandata, & literas dediſti, quas iam ſpero ad tuas reſcriptas te habere. omnes enim receperunt poſt paucos dies, quibus tuæ uoluntati ſatisfacere poſſent, ſe id facturos. Bembi uero literas cum his ad te mitto. quem cum Venetijs ſalutarem, & tuas literas una cum libro darem, quantum delectabatur de te, & de tuis ſtudijs audire, pro ueſtra coniunctiſſima neceſſitudine facilius eſt tibi exiſtimare, quàm mihi ſcribere. Veronenſi uero Epiſcopo, quem Veronæ ſalutaui, etiam tuas literas tradidi, qui me unum diem apud ſe detinuit, cum nullus pene nobis ſermo eſſet, niſi de te, & ſtudijs tuis, cum ſæpe ſe ualde dolere oſtenderet ſuauiſſima conſuetudine tua, quam ſemper expetiuit, propter locorum interuallum, quo diſiuncti eſtis, ſe priuari. Lazarum tuum Patauij offendi, cui etiam tuas literas tradidi, cum ad me ſalutatum humaniſſime ueniret. omnes uero de iſta animi tui tranquillitate, & ocio gratulantur, ex quibus tam præclaros fructus oriri, & prodire uident, quæ ut tibi perpetua ſint optant, ego in primis, qui non minus præclaros ſciam te iam parturire, quàm ſunt hi, qui a te in lucem ſunt editi, hoc idem optare nó deſinam, partumq; feliciſſimum precari. Vale. Venetijs, cal. Nouemb.

sco, quòd principijs ire obuiam neglexi. sed de his ridiculum est fortassis me ad te scribere. Quod de me bene atque honorifice sentis, & tua sponte, & Francisco Odrisio de me tibi indicante, alterum est tuæ perpetuæ erga me uoluntatis, alterum illius amoris, quo inductus, ut arbitror, plus mihi tribuit quàm ego dignus sim. Amorem tuum in me nunquam diminutum esse credidi, neque est fas de tali uiro hoc suspicari. in desiderio quidem certe tuarũ fui literarum: quæ quotiescunque mihi redduntur, toties noua delectatione afficior, ex memoria ueteris nostræ suauissimæ, & coniunctissimæ familiaritatis, in qua cognoui te cum amantissimum mei, tum ipsum dignum, qui a nobis summe amarere. Non enim neque in naturæ simplicitate, ac ingenuitate, neque in amicitiæ fide, neque in omni laude uirtutis, ac literarum habeo quẽquam, quem tibi anteponã. illud mihi magno dolori est, quòd ita egit fortuna nobiscum, ut uno in loco esse non possemus, &, qui est fructus ueræ amicitiæ potissimus, una conuiuere. sed hoc Deus aliquis aliquando uiderit. tu si me amas mi Lazare, cura obsecro, ut ualeas, et ad nos, cum erit facultas, aliquid semper des literarum. hoc mihi gratius facere nil potes. Vale.

& Petro Bembo meo plurimam dic uerbis meis salutem. Carpentoracti. VI Idus Mart. M. D. XXXII.

Iacobus Sadoletus Lazaro Bonamico S.

AVILA ad me fuit, tuas & Bembi mihi reddidit literas, deq; omni uestro statu ipse est suo sermone subsecutus, nihil prætermisit, quod aut illi commemorare, aut mihi percontari uenerit in mentem. prorsus omnia eiusmodi, ut utrique uestrũ gratuler, & pro amicitia gaudeam. studium omne in literis, animum in quiete, nomen in honore uestrum apud omnes esse intelligo. neque hoc adeo mirum. ita instituti ambo, & meriti estis. utinam ego maioribus uinculis non detinerer, quo possem uobiscum esse tertius, fruiq; optatissima consuetudine, & sua uitate uestra. sed posteaquam id non licitum est, unicum mutui desiderij leuamentum sunt literæ, de quibus cognoui querelam tuam, testem illam quidem tui erga me amoris, sed tamen ego nullas tuas accepi, quin semper rescripserim, et meas misi com plures, ad quas nunquam est rescriptum. ita uitio fit eorum quibus committuntur, ut ne reddantur li

teræ,

terae. uia autem dandi, & accipiendi illa est tutior, ac certior, ut mittantur utrinque Romam. ibi Antonius Cornazanus familiaris meus, qui apud Card. Rauennatem nunc habitat, curam capiet, fideliter eas transmittendi, quando & facultas illic paratior, & commeatus literarum frequentior sane est. ad ipsum quoque Rauennatem suadeo tibi ut scribas, quem tu Romae duum cognosse potuisti, iam tum non sine egregia laude ingenij deditum opt. artibus. is post discessum nostrum tantus effectus est in omni genere doctrinae, ac praesertim in hac ratione ornandae, excolendaeq; orationis, ut illius sermone, ac stilo quicquam uix fieri possit elegantius. cum eo si te familiaritate coniunxeris, ea scilicet, quae per epistolas contrahi potest, non dubito, quin te ille omni sua humanitate, & beneuolentia sit complexurus. Ego cum has dabam, alteras tibi iam redditas esse arbitrabar, quas his scripseram diebus, ad tuas longe ante a me acceptas literas, sero uidelicet. sed ualetudo in causa fuit, quia eram incōmoda per menses quinque conflictatus. atque illae ad urbem missae prius fuerunt, & inde ad te, ut ego suspicor, allatae. quare si tibi eadem placuerit mittendi ratio, crebrius inter nos quamuis absentes

quæ de bellis, & de apparatibus hostium uulgo circunferuntur, quorum est communicatio inter doctos minime liberalis. Cumq; ego in studijs uehementissime essem occupatus, non tam quærebam, quàm expectabam tempus idoneum scribendi, cuius nunc adest occasio, cum uir clarissimus eximia uirtute, nobilitateq; præcellens Reginaldus Polus. istuc ad uos reuertatur, cui ego non modo literas ad Bembum meum, et ad te, uerum dialogum etiã dedi de liberis recte instituendis, ut is uestro imprimis iudicio expenderetur. non enim ante eum missurus sum ei, cui est inscriptus, quàm uobis cognouero auctoribus, posse me id sine ullo periculo facere. in quo te quidem oro mi Lazare, ut operam mihi, & amicam, & fidelem, præbeas, hoc est ut laborem quidem lectionis mea causa libenter suscipias, seueritatem autem in reprehendendo, & corrigendo eam adhibeas, quæ & fidei tuæ lectiss. & meæ famæ conueniat. quid enim ego sum, aut uero esse possum sine uobis? aut sine uestra ope ac consilio? in quorum præstante, eximiaq; uirtute mea spes, in amore erga me fiducia tota collocata est. sed non arbitror ista ibi opus esse, ubi est cõiunctio maxima familiaritatis. illud peto ut me

E 4 *primo*

primo quoque tempore de omni tuo ſenſu, quod ad lucubratiunculam meam attinet, certiorem facias. Ego (eſt enim tibi aliqua quoque ſtudiorum meorũ reddenda ratio,) opus habeo nũc in manibus ex eo genere quod eſt in ſacris literis poſitum. ſtudeo enim pro mea parte ferre opem chriſtianæ religioni, cum ea fere ubique periclitetur, quemadmodum imprimis quidem & debeo, & opto. illud utique do operam, uti totum argumentum ita tractem, ut uobis quoque doctiss. hominibus, qui nimium eruditas aures ad audiendum affertis, illa poſſit commentatio non diſplicere. ſed hoc res ipſa poſtea aut redarguet, aut probabit. Tu mi Lazare me dilige, & ualetudinem tuam cura diligenter, uiroſq; doctos, quorum iſtic magna copia eſt, meis uerbis ſaluere omnes iube. Vale. Carpentoracti, III. Non. Sept. M. D. XXXII.

Iacobus Sadoletus Lazaro Bonamico S. D.

CVM *eſſem Maſſiliæ, quò ego per aduentum ſummi Pont. illius ſalutandi gratia me contuleram, accepi literas tuas, quibus mihi ſignificas, te, cum primum ex peregrinatione quadam, quæ ti-*

bi

bi neceſſario incidiſſet, domum pedem retuliſſes, continuo daturum operam, ut cum illo colloquerere, qui apud Bayſium *eſt, omniaq; ad me de eo explorata perſcriberes. quem ego iuuenem mi* Laza*re multis de cauſis, ut antea ad te ſcripſerã, expetiui; neque nunc alia ſum uoluntate. ſed cum ita inſtitutus ſim, ut plures exiſtimem partes noſtrimet humanitati tribuendas eſſe, quàm noſtro ipſorum commodo et utilitati, de ea ſpe, quam in illo repoſitam habebam, alteri concedendum duxi: cum præſertim is, cuius ego uoluntatem antepono meæ, propter præſtantem uirtutem, & nobilitatem dignus ſit, cui à bonis omnibus omnia deferantur. is porro princeps eſt* Melphitanus*, homo ſumma grauitate, ſummaq; apud regem hunc & auctoritate, & gratia, quem ego & amo mediusfidius, & non mediocriter colo: in quo mihi ab eo refertur gratia. non enim ipſe in noſtro mutuo amore uincitur. atque is duos habet liberos, adoleſcentes indole eximia ad uirtutem, deditos optimis literis. in quibus ille erudiendis, atque ornandis omne ſtudium ſuum, omnem ſuam cogitationem fixam habet. neque alia re tam indiget, quàm bono doctore, ac magiſtro, cuius & doctrinæ, & fidei cariſſi-*

ma

Iacobus Sadoletus Reginaldo Polo S. D.

ACCEPI *tuas plenas officij, & humanitatis literas, omnemq; in illis probi, & præstantis ingenij tui, & pristini erga me amoris imaginem penitus recognoui. Quorum utcunque quanti faciam, nihil attinet nunc me scribere. utroque quidem certe ita delector, ut nihil mihi accidere possit optatius, quàm me & abs te, & tali uiro diligi. Sed quæ à te de prætermissione officij scripta sunt, quodq; in eo uideris uereri, ne aliqua abs te culpa suscepta fuerit, amabo mi Pole sint ea ex mu tua nostra beneuolentia penitus sublata. non enim recipit amicitia nostra suspiciones huiusmodi, nec tu peccare prætermittendo officio potes, nec ego animum tuũ, aliter, atque est, interpretari. quem cum officiosissimum, & amantissimum mei esse cognoscam, non ex euentis tua mihi uoluntas, sed ipsa per se, & sua sponte spectata est. equidem desideraui nonnunquam tuas literas, neque id mehercule iniuria: quid enim est, illis quod me delectet magis? uerum ita desideraui, ut ego illa uoluptate carerem, non tu ut officio, aut amicitiæ deesses,*

ses,

ses, cui tamen meæ aliquando intermissæ uoluptati sentio nunc à te cumulate satisfactum esse: caue enim putes quicquam mihi accidere potuisse tuis literis dulcius: quæ cum totæ undique, tum illa me ex parte præcipue delectarunt, qua tu, Socratice nimirum, & urbane, excusationem tibi non scribendi à stili inopia, & exilitate repetebas. qui totus elegantis ironiæ locus & uultum mihi, & animum suauissima hilaritate aspersit. Obsecro hos ne tu riuulos squallentes, & aridos, aut tenui aquula interdum fluentes uocas? qui mihi ita currere uisi sunt abundanter, & largiter, ut appareat non tenuem, sed uberrimum, & eundem perennem fontem illa fundere: quanquam hoc quidem de te mihi iandudum persuasum habui, te, quæ concupiuisses, omnia effecturum esse. notum mihi erat ingenium tuũ, nota uirtus, ardor autem ille, qui animis præstantibus ad appetendas res magnas comes adesse solet, nihil mihi non de te uel maximum pollicebatur: sperabã itaque fore, nec sum deceptus, ut tu, ad istam ipsam, in qua nunc insistis, doctrinæ, & eloquentiæ coniunctam laudem peruenires. Quapropter & gaudeo, pro amicitia, & tibi gratulor: illud aliquantũ ægre fero, quòd uidere quasi

uideor,

uideor, hæc à te ipſo ornamenta contemni, quæ meo quidem iudicio tanta ſunt, ut ſine his conſtare ne illa quidem recte queant, quæ tu omnibus anteferenda iure optimo putas: quo de genere quoniam bis iam à te ſum laceſſitus, tempus non alienum uidetur meam tibi ſententiam breuiter exponendi. Sacrarum rerum ſtudium, & diſciplinam tibi placet rebus cæteris anteponi. quod ego quoque tecum una confiteor. cur ergo in artibus reliquis, & maxime in philoſophia tempus conterimus? quia nequimus ad faſtigium ſine fundamento, & ſine parietibus peruenire. quid? iſta quandiu curanda nobis ſunt, ut non in uno illo ipſo, quod optimum eſt, omnia noſtra ſtudia ponamus? ad quod dicendum eſt, eſſe boni patris familias totius domus tutelam, & procurationem, non unius duntaxat partis gerere, uerum ita totius, ut potiſſimæ quæque in ea diligentius curentur partes. et quoniam de domo, & de ædificatione mentionẽ facimus, quis non uideat theologiam, quatenus in ſcientiæ ratione, & genere reponatur, ſine philoſophia ſtare ipſam per ſe, & ſe ſuſtinere non poſſe, utranque uero minus apte munus tueri ſuum, ſi à copia, & facultate dicendi deſeratur? At enim

mundana

non modo fidelis, atque frugi, uerum etiam sine sor de, cultu honestiore corporis studeat apparere? At iam ista ad summi boni adeptionem minus necessaria sunt. ne sint, adiuuant certe, hocq; sæpe efficiũt, ut multi ad illud expetendum procedant comitatiores. & sane uidendum est, si circuncidamus, am putemusq; cætera, & tantum quod summe est necessarium relinquamus, ne, dum diuini uolumus pla ne fieri, humanitatis partem nullam teneamus. sit modo nobis hoc fixũ, quod utique esse debet, ut om nia in nobis, si qua meliora sunt, accepta Deo *referamus, eáq; ad eiusdem unius gloriam cõferamus.* Hoc *animo qui fuerint, cum in ijs, quas suscipient, actionibus, rebusq; quas gerent, summam sibi dignitatem operis proponent, summamq; pulchritudinem, inq; eam amore, & studio incitati ferentur, tum non erit in his talibus pertimescendum, ne inani laudis cupiditate deducti a summo bono deficiant. itaque ego, & liberalibus artibus, quoad in illis nos quantum proficiamus non pœnitet, & in primis philosophiæ operam dandam puto, sine qua, ut dixi, nec theologia quidé constat. in qua quod scribis te ita tempus omne consumere, ut ad cæteras artes, atque scientias nihil spatij tibi*

ne

ne respiciendas quidem relinquatur, non satis plane intelligo, quid dicas. Patieris autem me pro nostra familiaritate, & meæ & tuæ naturæ ingenuitate, libere agere tecum. Non intelligo inquam quid hoc tantum tuum sibi uelit studium. Nam si ea tantum nobis percipienda sunt, quæ ad credulitatem nostram & fidem faciendam de Dei clementia, & benignitate erga nos pertinent, ea sunt nobis, non multis, nec obscuris, sed claris, & illustribus literis sat compendiose tradita, liber enim euangeliorum omnem uiam, & rationem nostræ salutis continet. si uero explicanda illa uberius sunt, & enucleatius tractanda, an tu plus in eo tibi ab infinitis uoluminibus istorum, qui ætati nostræ propinquiores omnia referserunt inconditis libris, & litigiose scriptis, quàm a Paulo, & lege ueteri, & a prophetis opis latum iri existimas? Pauci libri sunt, nisi forte me fallit, in hoc a nobis genere perdiscendi, sed quos magna cum cura, & attentione animi legere debeamus, si ad diuinarum rerum cognitionem cupimus aspirare, qui non modo spatiũ, locumq; dant lectitandis aliarum artium ingenuarum auctoribus, sed ab ijs ipsi liberalibus studijs, non exigua accipiunt suæ utilitatis, & dignitatis adiu

adiumenta. nisi forte existimamus, summos illos uiros, qui primi hæc christiana literis illustrarunt, sine comitatu optimarum artium tantos progressus in diuinis facere potuisse. quo in numero Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum *fuisse cognouimus. sed de his satis uel fortasse nimis multa.* Lazarum *meum, tuum contubernalem factum esse, moriar, nisi mihi pergratum est. quanquam enim corpore a uobis absum, animo tamen uobis cum excubo, ut uidear mihi interdum quæstiunculas uobiscum una, & familiares sermones texere. eum porro ego ad philosophiæ studia animandum nunquam censui, quippe quorum ipse studio, & amore in primis teneatur.* De *theologia quidem tibi assentior nunquam illum ad summum peruẽturum, nisi ad reliquas facultates, & disciplinas, quas multas magnasq; possidet, hanc quoque primariæ artis, nobilissimæq; scientiæ cognitionem adiunxerit. cuius ego tibi in* Hortensio *attexã laudationem, utique quoad patietur ratio operis. in quo ego nunc me assidue, uehementerq; exerceo, speroq; propediem copiam me uobis facturum, quo meas ineptias irridere possitis.* Theatini *doctrinã, sanctitatem, uirtutem notam habeo iandiu, eamq;*

in oculis gero. Cōtarenum amo, coloq; nec de facie mihi cognitum, ſed de animi uirtute, & de eximiæ cōditionis fama. tu mihi gratiss. feceris, ſi utrique ſalutē meis uerbis plurimā dixeris, Cōtareno hoc amplius, dictū mihi fuiſſe ſuperiore anno, cum eſſem Maſſiliæ, librum confectum ab eo, in quo de opt. ciuitatis ſtatu grauiter et docte diſſeratur. eum librū cupere uehementer me uidere, quod Sorātius Venetus præſtans ingenio, & nobilitate, cum diſcederemus Maſſilia, pollicitus mihi fuit, ſe curaturum ut exemplum ad me primo quoq; tempore mitteretur. eum ego oblitum arbitror. tu qui auctoritate, & gratia plurimum polles, ſi effeceris hoc mihi, ut, quod ſine onere aliquo tuo, & ſine incommodo fiat, cupiditati in hac re mos geratur meæ, magna me iucunditate medius fidius affeceris, quod ut contendas, & enitare, magnopere a te etiam atque etiā peto. Vale mi humaniss. Pole. Carpentoracti, IX. Cal. Decembris. M.D.XXXIIII.

Iacobus Sadoletus Laz. Bonamico S. P. D.

PVPVGERVNT me nonnihil literæ tuæ ſept. cal. Sept. Patauij datæ, meq; in eam ſuſpicionem

nem adduxerunt, ut vererer ne quid a me antea im prudentius fuisset scriptum, quasi tu mihi in opinio nem inertiæ venisses. Quod ego non modo eo animo scripsi nunquam, sed ne cogitare quidem potui: Quid enim minus, quàm quod nusquam quicquam est, idq; ego scio nihil esse? An te ego non noui, tuaq; mihi uirtus, industria, nauitas parum perspe cta est? aut quisquam omnium mortalium est, qui audeat affirmare tuos sibi sensus melius quàm mihi perceptos esse & cognitos? crede mihi mi Lazare, memet ipsum turpissimæ inscitiæ accusarem si tibi ignauiæ notam ullam attribuerem. sed quod tunc scripsi me existimare, laborem illum docendi & tibi honestum esse, & alijs permultis fructuosum, ac utilem, neq; uideri mihi causam cur defugiendus esset, non scripsi iudicans te laborem omnem uelle fugere: sed cum te in illo munere contineri cuperem, iccirco illa a me tunc scripta cohortatio est: sic enim sentiebam, maximam laudem uirtutis esse prodesse quamplurimis. quod tu latius in posteritate patere putas, quàm si tantum præsenti sæculo seruiatur, propterq; eam causam secreta, & libera studia requiris, ociumq; in illis maiorem etiam laborem, et maius negociũ appellas, neq; arbitraris utrũque

abs te præstari posse, ut & priuatim tibi satisfacias, & cæteris publice, concedo: teq; ad illa alta, & magnifica philosophiæ studia aspirare plane uideo. Quid ergo non ne commodissime poteras istã ipsam artem omnium nobilissimam publice profiteri? in eaq; instituere adolescentes, uel separatim, si tibi ita fuisset uisum, uel etiam cum Cicerone, & cum eloquentiæ studijs coniuncte. Quam ego uiam rationemq; studendi potissimam semper sum arbitratus. hoc enim certe abs te si factum fuisset, uel etiam si nũc fiat, Dij immortales qui concursus præstantium ingeniorum, quantus amor sapientiæ in animis hominum existeret? tu quoq; qui nunc te quereris distrahi, coniungeres domestica tua studia cum forensibus, & laborẽ utcunque in easdem operas, lucubrationesq; conferres. sed ego tibi non præscribo, satisq; in te ipso statuo esse consilij, hoc dico, quod habeo exploratum, te, utro uerteris, præclare illud, quod susceperis, esse effecturum. quæ mea de tuo ingenio, & excellente doctrina opinio, non noua, neque recens, sed iã diu ante mihi suscepta est. legi carmen tuum, idq; admodum probaui, ualde enim mihi graue, & elegans uisum est. utinam fructum eiusmodi afferat, ut quod de Peri

cle scriptum est, aculeos relinquat in eorum animis, ad quos maxime ista pertinent. Tuas a Melphitano Principe literas, de quibus in quadam epistola fueras conquestus, iampridem accepi. ille uero Bunellus, doctus, ut ego coijcio, adolescens, scripsit ad me, se Vaurensi Episc. Regio istic Legato, contubernalem factum esse: quem hominem mi Lazare rogo te ut nosse uelis. talem enim offendes, ingenio, humanitate, probitate, doctrina, ut pluris tibi propter eum Gallia futura sit. Polus ad me scribit uberrimis, elegantissimisq; literis, multa ille quidem digna illo ingenio, & sanctiss. ipsius moribus: sed plurimum tamen, & praecipue de te, quem ipse admodum cuperet ad theologiae studia iam aliquando animum adijcere, quam ego cupiditatem eius uehementer probo, tibiq; suadeo ut hanc diuinam imprimis facultatem, & ad salutem nostram necessariam diutius a tui ingenij thesauris ne habeas segregatam: sed de his alias, nunc tempus interpellat, luxq; & negocia instant: nam haec manu mea scripsi ante lucem. Valebis igitur, & communibus amicis, imprimisq; Bembo meo plurimam a me salutem dices. Vale. Carpentoracti, IX. Cal. Decemb. M. D. XXXIIII.

Iacobus Sadoletus Reginaldo Polo S. D.

ILLVM *primum cepi ex literis tuis fructum, quod cognoui ex his manu tua scriptis, te ualetudine bona iam uti, de qua fueram me hercule aliquot ante diebus nõ parum sollicitus, cum Thomas tuus ad me Auenione scripsisset, te in eum morbũ, quo hic laboraras, Venetijs denuo incidisse. nunc mihi tuæ peroptatæ literæ omnem mihi huiusmodi de te metum, & sollicitudinem meam penitus absterserunt: confido enim quæ tua temperantia est, hũc nunciũ salutis tuæ, & lætitiam, quã nos ex ea capimus, diuturnam nobis fore. alter autem fructus ex tuis literis non tam fortasse necessarius, quàm hic de quo dixi, sed certe ad uoluptatem animi aliquanto uberior, quod quantum tu me ames, & quàm de me honorifice sentias, in eisdem plane literis perspexi, etiam mehercule cuiusmodi tu sis, quàm doctus, quàm humanus, quàm elegans, quàm omni ratione dignus, qui ab omnibus his ameris, atque colaris, qui uirtutem, & comitatem, & optimum sibi morem esse colendum putent. sed quæ tu ad me de me ipso scribis, in quibus iudicium tuum*

est de me cum singulari beneuolentia coniunctum, omnia sunt eiusmodi, ut cuiuis intuenti facile appareat, amantis illa esse hominis magis, quàm indicantis: et si enim tu hac ingenij quoque, & sapientiæ dote mirifice ornatus es, ut possis commode iudicare de altero, tamen id quoque tibi esse impedimento, quod plurimis officit, ut amore inductus, amici bona carius æstimes, quàm quanti illa sunt, minime mirandum est, cum habeas humanitatem naturæ præsertim ingenio, & prudentia non inferiorem. mihi quidem cum ea, quæ mihi tribuis, non continuo agnoscenda esse uideantur, libenter illa refero, & conuerto ad amorem, quo sane, dum carus tibi, iucundusq; sim, satis tuo iudicio me ornatum esse puto: non enim mediocris est operæ, neque uirtutis, tali uiro, qualis es tu, tantopere placere. De te uero mi doctiss. atque humaniss. Pole, si ea dixero, quæ sentio, nunquid tu illa certo indicio, an beniuolentiæ in te meæ es ascripturus? utinam quidem possem uerbis omnia complecti, quæ mihi de te in animo insita, penitusq; affixa sunt. non uereor nimium amantis suspicionem. sed si hoc non queo, quòd meos eloquendi, exprimendiq; conatus tuorum ornamentorum copia obruit, illud quidem

dicam, quod in promptu est, usque eò me aspectu, sermone, sanctissimis tuis illis, & modestiss. moribus fuisse captum, ut nunquam postea mihi ex animo nostri illius congressus memoria exciderit. quanquam enim perspiciendi tui penitus, ac fruendi exigua mihi potestas fuit facta propter subitum à nobis discessum tuum, qui mihi mœroris non minus reliquit, quàm tuus lætitiæ aduentus tulerat, tamen uitæ cursum tuæ mecum ipse considerans, & summorum hominum testimonia, quæ tibi sæpe egregia apud me ab illis data sunt, cogitatione mea repetens, quibus præsertim testimonijs breuis illa mecum congressio tua apprime fidem fecisset, talem te in animo gerere cœpi, qualis profecto tu es. neque aliter statuere poterã, quàm eum, qui & nobilitate domi, & fortuna amplissimus, cognatos, familiares, patriamq; reliquisset, & cum flagraret studio, atque amore artium optimarum, ex ultimis oris, regionibusq; terrarum, illarum adipiscendarum causa in Italiam se contulisset, ibiq; annos cõplures commoratus, ita se dedisset familiaritatibus, amicitijsq; doctissimorum, & præstantissimorum hominum, ut illorum omnium iudicio imprimis dignus ipse haberetur, quem & propter fidem, at-

que

que integritatem uitæ uenerarentur omnes, & propter ingenium, doctrinamq; colerent: hũc ego inquam existimare alium non poteram quàm summum, & singularem uirum, hominemq; eiusmodi, cui nos, qui ista pendimus, et iudicare aliquid possumus, non beneuolentiam modo, aut honorem tacitum, sed omnia cultus, atque officij aperta, & perspicua studia deberemus. Accesserunt *literæ tuæ, præclaræ testes ornamentorum tuorum, atque amoris summi erga me tui, quæ me totum tibi addixerunt. quàm illæ humaniter scriptæ, quàm eleganter, quàm argute? nihil ut ingenij luminibus ijs, quæ in eis plurima elucent, nihil ut præclara effigie pietatis tuæ, ac religionis erga summum* Deum, *quæ in illis expressa est, fieri possit illustrius. & tamen tu is cum sis, qui alicuius domũ ingressus, intro tecum feras lætitiam hospiti tuo, atque honorem, agis mihi per literas gratias, quòd te domi meæ libenter acceperim. quasi non mihi maximo ornamento fuerit aduentus tuus, & uoluptati sermo, atque congressus: aut tu plus ex me quàm ego ex te, & ex sermonibus tuis, adeptus fueris & suauitatis, & commodi. Ast ego tuum illud consilium fidele, & sapiens nunquam è memo-*

ri

ria depono, cum tu mihi hæsitanti, atque cunctanti quodnam genus potissimum sequi studiorum deberem, & quorum auctoritati, atque opinionibus assentiri, quòd erant qui alia mihi studia quædam, & diuersas scribendi rationes proponerent, fidenter, & prompte consuluisti, ut ea præcipue sectarer studia, quorum fructus in hac uita non solum, sed in omni æternitate integri manere possint. Quo ego responso maxime adductus sum, ut me literis sacris totum dedendum putarem, ad quas eram iam quidem sponte mea propensus, simulq; integritaté. & uirtutem, & religionem tuam admiratus sum, qui cum inter eos homines diu uersatus esses, quibus studia ista minus probantur, atque eis artibus ipse instructus, quorum uidetur lepos, eruditio, elegantia ab his rudioribus, ut existimatur, studijs abhorrere, bonitate tamen naturæ, & ingenij tui, ea cæteris antepcnéda studia duceres, quæ nó præsentem modo suauitatem, sed multo magis rationem perpetuæ utilitatis habeant. sed quid ago? maioris ista sunt operæ & temporis longioris quàm ut una epistola comprehendi possint: ueniamus ad literas, in quibus quòd scribis librum meum in uia tibi pro uehiculo fuisse, ualde medius fidius id lætor, quod

que eum probas, ac laudas, mihi uehementer gratum. quid enim dissimulare est opus? sed illud gratius tamen est, quòd ex illo te intelligo memoriam, & cogitationem mei crebrius aliquanto, et diligentius usurpasse. quo nihil mihi quidem accidere potest optatius. Mandatæ mea, quæ abeunti tibi dederá, diligenter te confecisse, neq; miror, noui enim fidem, & integritatem tuam, & te de ea re plurimum deamo. Accepi iam quidem a Bembo meo literas cum uberes ad ea, quæ ab eo requirebam, imprimisq; & elegantes, & eruditas, tum omnibus refertas officij, ac beneuolentiæ signis. expostulationem tuam, qua uteris mecum, quòd locum theologiæ in enumeratione earum artium, quibus recta institutio adolescentiæ continetur, nullum dederim, sed in philosophia totum hominem constituerim, sic accipio mi Pole, ut omnibus tuis dictis, atque factis tua animi uirtus, & Deo dedita uoluntas uehementer mihi probetur. sed ego primum nominatim de theologia nihil dixi, quòd ea in philosophiæ nomine continetur. est enim theologia, ut ipse nosti, apex quodammodo philosophiæ, & fastigium, cuius tanquam magni cuiusdam corporis cum plura membra sint, ut ab Aristotele est perspicue demonstratum,

tum,

tum, illa quæ de Deo pars, & de Principe causa pertractat, sola prope digna est, quæ philosophiæ nomime censeatur: quæ etsi aliter ferè tractata a nostris est, ac ueteribus fuit, eam tamen etiam nunc philosophiam appellari uideo a doctissimis, & sanctiss. uiris Chrysostomo, Basilio, cæterisq;. Deinde cum adolescentem sic instituam, ut eum duntaxat deducam ad annum ætatis quintum supra uigesimum, post id autem suo eum arbitrio permittam, non uisum fuit mihi conuenire accuratius ad ætatem illam de theologia uerba facere, cum hæc ars una atque scientia senectuti maxime, & sedatioribus annis apta sit. et, si præcepta suscipiendæ religionis necessaria etiam iuuentuti sunt, quemadmodum utique sunt, satis illa a me in eo libro, quatenus quidem ad adolescentiam pertinet, sint tradita. Postremo cum in Hortensio distinctius de philosophia acturus sim, eamq; in suas partes omnes distributurus, ueluti de qua peculiaris ibi sermo habendus est, non duxi eius dialogi ornamentum, quod in commendatione theologiæ uel præcipuum futurum est, in hoc prius libro delibari conuenire, cum id iucundius tum futurum sit, si ad hominum aures nouum, atque integrum accedat. habes ratio

nem

nem prætermissionis meæ, quam tibi cupio probatam esse. certe enim ego quod iudicaui esse congruẽtius, id secutus sum. et nunc quidem perdifficilis foret commutatio. plura enim mihi inuertenda in eo libro, uel totus potius liber alio ordine pertexendus esset. uerum de his satis. te amari a me mirifice, et coli, ualde tibi persuasum esse uolo, neque me magis appetere quicquam quàm ut meæ erga te uoluntati tua mutuo uoluntas in me amando respondeat. Vale. Carpentoracti, III. Non. Decemb.

Iacobus Sadoletus Card. Petro Bembo S. P. D.

NIHIL hilariter possum, neque tristibus etiã uerbis ad te scribere: quòd in altero mea uoluntas mihi repugnat, in altero hominum opinio, atque iudicium. quicquid sit quidem, factus sum Cardinalis. quod si lætandum sit, ego adhuc ignoro. certe neque ex mea uoluntate, & præter expectationem factum est. Ac summa quidem Põtificis Max. benignitas extitit aduersum me, qui me iudicauit eo honore dignum, quo forsitan non sum dignus; uel potius plane non sum. onera autem, quæ honorem eum consequuntur, mihi ita grauia sunt, ut nõ

uideam

uideam quo pacto possim sustinere, ac ferre. te quidem rogo mi optatissime Bembe, *ut me amare non desinas. minor apud te sum factus, quàm essem antea, hoc enim & suspicor, & re ipsa ita est. sed noli ascribere hoc mihi: potius fortunam accusa, quæ me in ea uada compulit, ut aut fama, aut libertas mihi fuerit cõstringenda. ego uero pudore, et timiditate quadam malui constringi, quàm stultus iudicari. si iudicio lapsus sum, ignoranter feci: si uero mea ratio habet aliquam rationem, tu si eam defendendam susceperis, potero sperare me purgatum omnibus, probatumq; futurum: te quidem ego in dies magis magisq; diligo, plurimiq; facio.* Lazarum *meum uerbis meis saluere iube, itemq; cæteros, quos amicos ferè habemus communeis. me, quo minus plura scribam, meæ molestæ grauesq; sollicitudines, & cura rerum necessariarum auocat.* V. *cal.* Ian. Roma.

Petrus Bembus Io. Bapt. Fideli S. D.

QVOD *ad me bellam epistolam, & pererudi tam dedisti, gaudeo, eoq; magis, quòd horum temporum iureconsulti bonas, hoc est latinas literas ne*

attingunt

attingunt quidem. Itaque *tu, qui ſermonis elegantiam cum ſapientia coniunxiſti, pluris unus faciendus es, quàm alij ſexcenti.* Quod *uero etiam oſtrea mihi miſiſti: de eo tibi multis nominibus gratias ago: primum, quòd ſuburbana: neque enim ſunt cum noſtri maris oſtreis, cibi, ſaporisq; præſtantia, ullius maris oſtrea conferenda: deinde, quòd tanto numero, ut non meas modo cœnas, ſed amicorum etiam meorum conuiuia locupletarint, fecerintq; lætiora:* Deinde *quod ſucco tam recenti, ut nihil potuerit eſſe ſuauius:* Poſtremo *autem, quod quidem omnium maximum, atque opportuniſſimum fuit: ea ipſa ante alios deuorata cibos, tanto mihi uſui, tamq; præſenti fuerunt, ut pituita, qua magnopere uexabar, me reliquerit, ac ſomno, quem penitus amiſeram, reſtituerit. o te medicum mihi quidem præclarum, atque mirificum. non enim uereor, ne te pigeat medicinæ artem ad priſtinam tuam legum peritiam addidiſſe, cum* Valerius Superchius *medendi diſciplinæ, in qua excellit, iuris ciuilis ſcientiam adiunxerit, collegio* Medicorum *a tributi collatione in ſenatu defenſo, ipſo fratre tuo,* Mat*theo fideli, uiro ornatiſſimo, reliquisq; fiſci, & rei publicæ aduocatis reclamantibus. unum mallem,*

ſocium

socium me tuum in illa piscatione, de qua commemoras, habuisses: ea uoluptate, quæ tua tantum fuit, non caruissem. quanquam quidem eius etiam me uoluptatis participem eædem illæ literæ tuæ fecerunt: ita ipsam ante oculos rem mihi stili tui coloribus depinxisti: sed de his hactenus. Altera fuit tuarum literarum pars, et quidem prior, qua me in cœlum fers miris laudibus, cum te maxime delectatum fuisse meo aduentu significes ad Prioli nostri uillam, qua in uilla biduum una iocundissime fuimus: istud tu quidem more uestro, qui magni caussarum patroni, paruulas sæpe res oratione facere maximas consueuistis. ego uero, qui nullam omnino rem exornare, atque comere, quiq; ad ueritatem uerbis addere nihil didici, si me dicam tuo lepidissimo sermone, iocis, serijs, omni denique consuetudine maximopere tunc delectatum, nihil unquam te uno comius, nihil amabilius uidisse, planè non mentiar: quod mehercule toties dico, quoties in eũ sermonem ingredior, ut illo de nostro eius bidui conuictu, aut certe de te ipso sit dicendum. sed hæc malo te ex alijs cognoscere, quàm ex me. Priolum, Naugerium si saluere iusseris, erit mihi pergratum. Vale. Patauio XI. cal. Feb. M. D.XXXII.

Iacobus

Petrus Bembus Cosmo Gherio Episc. Fanen.

EX tuis literis, quæ me de tua apud Fanum mãsione, reliquisq; tuis rebus erudierunt, magnã cepi uoluptatẽ: propterea quòd & elegantes ipsæ sunt; neque tantum latine, sed etiam polite, atque subtiliter scriptæ, & tuam erga me beneuolentiam, quam ego semper feci plurimi, magnopere præ se ferunt. itaque nihil mihi potuit optatius accidere, quàm tuum & in bonarum artium studia, literasq; nostras progressum, & in me amorem te scribente agnouisse. delectatus enim sum, quod addis, academiæ tuæ desiderio, sic enim appellas, quam hic prope unus constitueras, incredibiliter teneri. confido enim, si id ita sit, te ad nos aliquando reuersurum: quanquam quod postea Bononiam profectus es; uereor, ne te Romanæ reip. tibi propositæ magna cum spe actiones, & munera intercipiant. sed hæc Deus aliquis gubernabit. recordor enim quæ mecum discedens amantissime his ipsis de rebus es collocutus: neque tibi ea puto excidisse: de quibus ego tũc tua captus amabilitate, humanitate, tuisq; uirtutibus incensus te de me, quid sentirem, sedulo

quærentem amice, atque fideliter monui. Reliquũ est, ut, cum tibi persuaseris, me amantissimum tui esse, hoc etiam mihi des, ut in te expetendo, & tibi prospera omnia, feliciaq; optando concedam nemini. Cola meus plurimam salutem impertit Ludouico tuo: item ego. tu salue, & Vale.

Petrus Bembus Hieronymo *Nigro* S.

QVAS *scribis alteras te ad me dedisse literas, eæ mihi non sunt redditæ, quemadmodum te cognosse uideo, id enim ascribis. itaque carui delectatione eius partis, quam te dicis eas in literas coniecisse, qua in parte tui ad urbem aduentus, urbanarumq; rerum significatio continebatur. Non enim uereor, ne quid essem eius generis desideraturus, si tuas literas accepissem. Altera erat pars earum literarum gratulationis tuæ, de imposito mihi onere ab senatu, sic enim malo dicere, quàm munere, urbis nostræ res gestas conscribendi. Eam tu partem alteris tuis recentibus in literis non tam reponis, quàm etiã auges, ut conÿcio, exornasq; honorificentissimo de me ipso testimonio iudicij tui, accendisq; me ad eam scriptionem grauissimis amantissimisq;*

uerbis

uerbis. Ego uero Niger, quod tu de me optime sentias, plurimum lætor. quem enim ualde amo, quẽque & doctrina, & prudentia excellere existimo, eundem mihi multum tribuere uehementer gaudeo. Quod cæteri: si ita est, facile angor, duramq; mihi conditionem esse propositam uideo, non solum amicis hominibus, ut tu es, sed etiam alienis, atque inuidis satisfaciendi. quod quidem quàm difficile sit, præsertim in magna expectatione hominum, te latere minime puto. Quid, quod ex summo otio in laborem plurimum, atque max. incidimus ea ætate, qua qui sapiunt, portum potius, & requietem petunt? sed dabimus certe operam, ne uel nobis ipsis, si erit in eo aliqua laus, uel omnino patriæ defuisse uideamur. Nam quod Naugerium extollis maximis, uerissimisq; laudibus, facis cùm ex tuo iudicio tum ex tuis etiam moribus. quanquam quis est, qui non idem sentiat. quis, qui non eius mortem eluxerit? qui non in eo clarissimum horum temporum lumen extinctum esse, atque sublatum putet? sed hæc alias: tu, quod facis, nos ama, & te a nobis amari, maximiq; fieri existima. breuitas mearum literarum indicio tibi esse poterit me in maximis occupationibus uersari. Tebaldeo, & Colotio multã

salutem: Vale. tert. Id. Ianuar. M. D. XXXI. Venetijs.

Petrus Bembus Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

NVNTIVS Idibus Octobrib. allatus incredibili Cardinalium omnium consensu te Pontificem Max. esse factum, magna me lætitia perfudit, cùm tibi, quem quidem ego propter singularem optimarum artium doctrinam, maximas, innumerabilesq; uirtutes cũ amplissima familiæ dignitate coniunctas uiginti totos annos summo studio coluissem, liberalemq; in me, atque beneficum sæpenumero essem expertus, tam latam, atque in omnes terras patentem ditionem, tam amplum imperium delatum intelligerem: egiq; Deo opt. Max. gratias, quòd & mihi, cæterisq;, qui easdem bonas literas, & præclara colunt studia, eum Principem, ac rerum dominum dederit, a quo sit magna nobilissimarum disciplinarum seges, & prouentus expectandus, & christianæ reip. procellis temporum turbulentissimorum iactatæ gubernaculo eiusmodi magistrum adhibuerit, quo regente nemo non modo naufragium expauescat, sed ne ullam quidem a

recto cursu declinationem timeat. Quae cum ita sint, de regno ac maiestate ista, qua nulla unquam maior inter homines extitit, cum mihi ex animo, atque uerissime gratulor, eoq; magis, quod ad te ornandum multo max. diuersarum partium hominum inter seq; dissidentium partum & propensio, & alacritas, atque idem plane studium accessit, ut ista declaratio Deorum immortalium uoluntate potius, quam humanis consilijs suscepta fuisse uideatur: tum eiusdem reip. causa uehementer gaudeo, atque imprimis Romae ipsius patriae, atque altricis tuae, in cuius urbis ciuitatem Pontificatum Max. quo quidem illa iam annos plus cētum caruerat, tui fama nominis, & uirtutum claritate reuocasti, & Romanos ciues tuos, fortunae contumelia diu grauiterq; conflictatos, prima regni die portorijs acerbioribus sublatis tua liberalitate recreasti; ut sperandum plane sit, urbis uulnera his accepta temporibus, quae quidem ualde multa sunt, atque adaucta penitus, te unū breui sanaturum, damnaq; omnia, & detrimenta sarciturum. quanquā quidem multo plus est totum illud, quod de te sperant homines, quodque iam sibi ipsi pollicentur. Nam, quae tua est prudentia, constantia, grauitas,

animi magnitudo, celeriter te intestina christianæ societatis bella compositurum, atque incendia restincturum putant; cuius rei plura iam signa, atque indicia tuis in actionibus publice habitis conspexerunt: atque est hoc ipsum medius fidius tam amplum, tam eximium, tam laudabile, ut in hoc uno cuncta inesse diuini Pontificis munera sit existimandum. sed mihi tamen, & antiquorum Regum, & clarorum imperatorum res pace gestas considerāti, illa pulcherrima, atque humano generi, & naturæ propria, maximeq; salutaris semper est uisa, qua illi suum studium ad bonas artes fouendas, atque ornandas transtulerunt: quo ex fonte quantæ, quāq; illustres in hominum conuentus utilitates, ac iocunditates permanarint, nemo te melius intelligit, cuius præstans, & excellens in Latinorum, & Græcorum literis eruditio omnes, qui ei rei se dediderunt, in eam spem adduxit, ut per te celeriter magnum incrementum sumptura bona studia existiment. ea spes ne quenquam destituat, non postrema tibi cura est adhibenda: atque, ut facile coniector, præclara adhibebitur. noui enim animi tui sensum ad omnem optimarum actionum laudem, & ueræ gloriæ cumulum undique colligendum. sed nō

committam

committam, ut qui ad hanc scribendam epistolam ut tibi gratularer initio me contuli, nunc te hominem omnium sapientiss. ad ea horter, ad quæ & uitæ summa cum dignitate actæ institutio, & natura, & mores omni elegantia, & suauitate præditi, ac perpoliti tui, & humanitas ipsa te incendũt. unum addam: si per ualetudinem mihi licuerit, dabo operam, ut communi hac gentium, & sæculi nostri lætitia præsens fruar, pedesq; tuos deosculer. Vale. Patauij. XIIII. cal. Nouemb. M.D.XXXIIII.

Petrus Bembus Iacobo Sad. Card. S.P.D.

EGO *uero amo probitatem tuam, uel potius uerecundiam: qua te perturbari uideo uerentem, ne non recte feceris, qui amplissimum à Paulo Põt. Max. delatum tibi munus non respueris. ostendis enim in eo te ijs honoris, & dignitatis insignibus nõ magnopere commoueri; à quibus plerique clari, & præstantes uiri ita ducuntur, ut etiam insaniant. tum autem magni antea, & erecti animi noua ista contractio, ac debilitas, ut uere dicam quod sentio, mihi non probatur. An qui omni tem*

pore nullum laborem recuſaueris, ut prodeſſe hominibus poſſes, cum exemplo, & inſtitutione eorũ, quos te regere oportuit, populorum; tum lucubrationibus, & ſcriptis, quæ plurima, longeq; præſtantiſſima confeciſti: nunc cum te Deus opt. Max. ad rem ſuam una cum reliquis Principibus procurandam euocarit; quid te deceat facere ignorabis, aut ambiges? neque lætus, atque alacer in commune bonum hoc, quod tibi oneris imponitur, ſuſtinebis, ac perferes? omnino tanquam fabulæ, ſic uitæ poſteriorem quẽque actum eſſe optimum, atque luculentiſſimum oportet. Itaque qui adoleſcens, qui uir ſemper te laudabiliter geſſiſti, nunc, cum ætas ingraueſcat iam tua, profecto omnes ueræ gloriæ partes tibi ſunt, cumuliq; colligendi: ut non hominum modo expectationi, quam de te recte agendo, recteq; ſentiendo excitaſti, ſed tibi ipſi quoque ampliter, atque magnifice reſpondeas. etiam times, ne quid de mea priſtina æſtimatione tui, opinioneq; amiſeris: amiſiſſes, ſi oblatam dignitatem reieciſſes. ſuſcepta multo te prudentiſſimum fuiſſe, & rectiſſime iudico, & agnoſco libentiſſime. illud quidem quod ais, ipſe ſi te defendendum ſuſcepero, purgatum te omnibus hominibus fore confidere: nihil

fuit

fuit necesse te adscribere. tua te anteacta uita, mores, probitas, doctrina, munus ipsum Episcopale, quo multos iam annos fungeris, te tuentur, atque ita quidem tuentur, ut aliter statuisse salua constantia non potueris. Me abs te in dies magis magisq́; diligi, ualde medius fidius gaudeo: teq́; uidere, atque amplecti incredibiliter cupio: ut etiam hac ætate qua sum Romam cogitem. Cardinali Capuano si plurimam salutem dixeris meis uerbis, erit mihi gratũ. Vale. Pridie Non. Ian. M.D.XXXVII. Patauio.

Benedictus Accoltus Cardinalis Rauennæ Paulo III. Pont. Maximo S. P.

QVOD Sanctitas uestra tanta me benignitate, atque humanitate complexa sit, quantam uix ausus fuissem sperare; meq́; suis literis, honorificentissime scriptis, una cum cæteris collegis meis absentibus ad suum sanctissimum gremium, hoc est, à desperatione omnium rerum ad optimam spem summo beneficio reuocarit; ago illi de eo nunc gratias quas possum, relaturus in tempus sempiternum in gentes non solum illi, uerum etiam toti illius generi;

ri; si quando mihi, bono aliquo fato, per iacentes fortunas meas licuerit, praeclarum aliquod erga illam, suosq; omnes gratissimi animi statuere documentum. sed, ut mihi nihil sit, neque esse debeat optatius, quàm aduolare quamprimum ad S. uostram: cum tamen haec illius permissio nec opinanti, atque à rebus omnibus imparato inciderit; multa impediunt; mihiq; magnis adhuc, & importunis aeris alieni molestijs implicato, quemadmodum S. uestrae facile poterit constare, plane uim afferūt: quae sunt eiusmodi, ut animo meo, sine praecipiti fortunarum mearum ruina, morem continuo gerere non possim. Quam obrem summis precibus peto à S. uestra, ut mihi ab illius clementia, & benignitate, quà ego mirificam sum saepe expertus, quaeq; nunquam exhauritur, hoc impetrare liceat, ut ne discessionem prius apparare necesse sit, quàm id, facultatibus meis explicatis, aliquo meo commodo facere possim. in quo si apud eandem benignitatem atque clementiam meae ualebunt preces; hoc beneficium; quod a Sanctitate uestra uocatus accipio; quodq; maximum esse existimo, nouo atque incredibili beneficio cumulabitur: colligam interea dissipatas rationes meas, & possessionibus meis pessime

ſime affectis medicinam, ſi non optimam, at ſaltem aliquam adhibebo: ut inde ea, quæ poſſint, ad hãc uſum exprimantur. Ac mihi uehementer dolendum eſt, cum mea, & ampliſſimorum collegarum meorum uoluntas, ut arbitror, eadem ſit, non eandem item eſſe rationem. qua de re uniuerſa plenius ſcripſi ad Illuſtriſſimum, & honoratiſſimum Cardinalem Farneſium, ut is, quæ ſumma eſt illius humanitas, et in me beneuolentia, hoc, quod a S. ueſtra ſuppliciter peto, quodq; ad unicum rerum mearum remedium, uel ſalutem potius, maxime pertinet, pro me ab ea deprecetur. cui, pedes ſanctiſſimos oſculatus, me humillime commendo. Pridie Id. Ian. M.D.XLII, Venetijs.

Car. Sadoletus Car. Rauennæ.

NIMIVM *iam diu eſt ex quo ego ad te nihil literarum dedi, cũ neque libentius faciam quicquam, quàm loqui tecum per literas, ubi coram nõ datur, & tu mihi in intimis ſenſibus aſſidue ſis infixus: ſed indicabo tibi quæ me ratio deterruerit. Venerant ſuperioribus diebus ab urbe Roma nuncij, mihi pergraues, omnibus meis moleſti, qui te aduerſa*

aduersa ualetudine uehementer laborare, nec longe abesse à periculo uitæ nunciarent; scribere ego non poteram, quàm tum mihi ea res molestiæ & doloris attulisset, quantoq; in metu, & quàm solicitus per eos dies fuissem, nullum ut tempus uitæ uiderer mihi unquam expertus esse acerbius. eum iacerem totus & animo, & corpore, &, ut timidus est amor, multa mihi intolerabilia proponerem, ecce tibi fortunatiores nuncij, melius iam tibi factum esse, teq; periculo uacuum à morbo pene iam conualuisse, huc ad nos perferunt. sustuli manus uidelicet, & Deo omnipotenti gratias maximas egi, quòd is sua bonitate & clementia, cum tua, & omnium, qui te diligunt, uota, tum meas quoque preces exaudisset, quas ego illi obtuleram pro tua salute plurimas. Quid quæris? non minus ego, quàm tu, à morbo illo atque periculo uidebar esse releuatus, solq; mihi, quàm unquam ante, multo splẽdidior illuxerat. sed cum ad te tum re recenti scribere cogitarem, ut scires quanto cum gaudio hunc posteriorem accepissem nuncium, iccirco non feci, quia ueritus sum ne rem minorem, quàm erat, facerem, cum nequirem plane tibi exponere magnitudinem lætitiæ, & sensum animi mei. in quo ipso

animo

animo meo non ego met sum, quàm tu, magis locatus & insitus: tantum potest apud me tuorum erga me meritorum, maximorum quidem illorum & creberrimorum, memoria, fidesq́; ea, quam de tua in me beneuolentia multis mihi iam signis certissimā fecisti. ut non pluris ego partes in me ipsó habeam, quàm habeat meus mihi optatissimus & carissimus Rauennas. *sed hæc forsitan memoratu superuacanea nunc sunt: amoris enim potius sunt, quàm opportunitatis: cui me tamen parere amori & cedere, interdumq́; me ab illo sinere arripi, quo tua maior & magis excellens est humanitas, hoc minus mihi uitio & imprudentiæ assignabis. illud, quod mihi uidetur non opportunum modo, sed etiam necessarium, nequaquam prætermittam, primum ut gratuler, neque id adeo tibi potius, quàm mihi, quòd incolumis nobis seruatus sis; quo munere nullum ab* Deo *immortali de his, quæ infra cœlum tribui nobis solent, uideor maius sperare aut expetere posse: deinde ut te rogem ac deprecer, si te ipsum & nos diligis, qui sumus profecto tui, et si rem non modo gratam, uerum etiam salutarem nobis facere cogitas, quod tamen semper fuit proprium & naturæ & beneficentiæ tuæ, cures, agas, enitare, efficias*

ficias denique optime mi Accolte, & suauissime, recte uti ualeas. Cœlum istud uereor, in quo tu uersaris, ut tibi minus salubre sit: nam ego quoque illud, eum degebam isthic, infensius mihi sentiebã. si habes facultatem commodioris loci, migrandum censerem: sin minus, potest tamen haberi ratio eiusmodi uictus, ut aduersus malitiam extranei aeris salus tua tuta & munita esse possit. sed nimis inconsiderate prouehor, qui audeam monere hominem summi ingenij summæq; prudentiæ. Ignosce obsecro amori meo: cui dum obsequor, non tam quis ego sim, aut tu qui sis, quàm quid maxime optem, & cupiam, cogitaui. Saluiatum collegam nostrum, summæ uirtutis, summæq; amplitudinis, si isthic est, meis uerbis saluere iubeas uelim quamplurimum, simulq; ei nuncies, me secundum operis mei de ædificatione ecclesiæ librum confecisse, eumq; Romam misisse, ut illic doctorum & bonorum uirorum iudicijs expendatur: nunc me uersari in elucubrando tertio. Quibus in meis uigilijs omnibus, non nomen solum & imago, sed memoria quoque ipsius erga me beneuolentiæ mihi assidue ob animum præsens & proposita est. Vale mi dulcissime & desideratissime Rauennas, iterumq; & sæpius uale

uale atque salue etiam atque etiam. ex S. Felicidioc. nostræ cal. Augusti. M. D. XLI.

Car. Rauennæ Cardinali Sadoleto.

QVANTAM *mihi doloris tui ex periculo meo significationem proximæ tuæ literæ attulerint, uel ex eo potes cognoscere, quòd ego, qui unice illis soleo delectari, perlectis tamen uarie sum affectus. nam etsi nihil potest mihi tam iucundum accidere, quàm constantis, summiq; tui erga me amoris declaratio: quadam tamen quasi * est effectum, ut tua illa de mea inualetudine molestia nõ parum in me redundaret, rursusq; singularis de me cura, ac studium incredibiliter recrearet. itaque tibi primũ, quas hoc tempore possum, de eo gratias ago, relaturus ingentes, si quando ij fructus, qui à me tibi tuisq; omnibus maximi atque uberrimi debentur, ad suam, ut spero, maturitatem peruenient: deinde, quod tu ualde expetis, ego item tibi ualde polliceor, istam tuam tam egregiam, uereq; paternam beneuolentiæ charitatem mihi posthac acris monitoris loco futuram esse, ut ualetudinem, qua satis iam firma uideor uti, omni ratione, & diligentia*

tuear.

tuear. ac cum mihi singulari aduersus morbum superioribus mensibus fuerit adiumento cœli mutatio, quo etiam nunc utor præsidio; cumq; iam antea decreuissem per æstatem saltem & autumnum in locum commodiorem mihi esse migrandum: tamen multo id exequar constantius, tuis prudentissimis monitis in ea sententia confirmatus. Saluiatum collegam nostrum, qui te summe diligit, summamq; tuam uirtutem plurimi facit, per literas saluere tuo nomine iubebo: quodq; & illi, & bonis omnibus magno futurum est gaudio, nunciabo, tertium librum de ædificatione ecclesiæ te esse aggressum scribere, secundo iam absoluto. Vale. XV. cal. Octob. 1541. Venetijs.

Paulo III. Pont. Max. Benedictus Accoltus Cardinalis Rauennæ S. P.

SANCTITATIS *uestræ gratissimæ literæ ad* III *nonas* Nouembris *datæ, mihi pridie idus redditæ sunt, cum acerbissimo cruciatu difficilis morbi, qui renibus atque intestinis pertinaciter inhæserat, febriq; item uehementissima non multo ante conflictatus essem. et ut uoluptatem ijs legendis*

dis cepi maximam, quia me ad urbem, redeundi cupidum, uerbis honorificentissimis euocarent: sic dolorem hausi prorsus incredibilem, quòd ita contigisset, ut eam uoluntatem, qua ego incitatus, ad beatissimum sanctitatis uestræ gremium, tanquam ad exoptatum nidum, reuolare statim cupijssem, aduersæ ualetudinis molesta difficultas impediret: Non est ignotum sanctitati uestræ, quæ etiam meã uicem aliquando miserata, pro paterna quadam pietate indoluit, quàm crebro, & quàm grauiter, modo ex renibus, modo ex intestinis, anno superiore laborarim, cum fere quotidie, genere dolorũ acutissimo confixus, quos semper febris consecuta est, dubia spe uitæ spiritum misere ducerem. illius periculi memoria, & impendentis timore adductus, putaui diligenter mihi esse operam dandam, ut meam ualetudinem, uehementer ex ægrotatione quatefactam, aduersus importunam atque adeo horribilem morbi tam infesti uim, aliquo remedio munirem: præsertim cũ ex ijsdem doloribus quotannis solitus essem periculose ægrotare. itaque cũ medicos consuluissem, ijq; mihi respondissent, plane sibi uideri, necessarium esse, ut aquis uterer Regiensibus primum, deinde Lucensibus; feci, &

utrisque sum usus. sed, ut est incertus nostrorum consiliorum euentus, accidit infeliciter. nam aquarum magna ui epota, & omnibus rebus ad præscriptum medicorum prope cum religione seruatis, tamen quod maxime factum oportuit, id quidem nõ euenit, ut renibus necessaria refrigeratione roboratis, diuturnus, ac multiplex morbus depelleretur; quod autem minus oportuit, id est effectum, ut & in febrem assiduam, doloresq; acriores inciderim; & in stomacho glacies quasi quædam consederit. Habet sanctitas uestra, quæ me causa, diutius quam uoluntas fuit, in his locis morata est. accessit etiam altera, de qua, morbo periculosissimo afflictus, hactenus ad illam non scripsi; qua quidem maiorem in modum, his tantis omnium rerum perturbationibus, hoc præsertim præstantissimo Duce non leuiter ægrotante distineor, magnæ scilicet curæ munus mihi nuper à Cæsare, singulari quadam summæ uoluntatis significatione assignatum, neque solum ad priuatas illius, easq; maximi ponderis rationes, uerum etiam ad summam Christianæ reip. magnopere pertinens, quod omne sanctitas uestra à clarissimo uiro Cæsaris legato plenius poterit cognoscere. Nunc sanctitatem uestram supplicit er

pliciter rogo, ut pro ea bonitate atque clementia, qua & omnes, & me quidem semper imprimis est complexa, spatium, dum à morbo confirmor, dumq; Cæsari, de me optime merito, aliquam, ad ipsius uoluntatem, gratiam refero, cum profligatæ & pene perditæ ualetudini, tum grati hominis officio concedat. cuius pedes sanctissimos cum ueneratione humiliter osculans, ac illi perpetuam in uita felicitatem exoptans, me ex omnibus intimis animi mei sensibus commendo. Florentiæ. XVII. cal. Decemb. M.D. XLIIII.

Benedictus Rhambertus Philippo Gherio fratribusq; S. D.

QVANTVM mihi mœroris attulerint Ludouici Beccatelli literæ, quas de Cosmi Gherij Episcopi, diuini plane iuuenis, fratris uestri, optimi atque sanctissimi, morte ad Bembum scripserat, nō commemorabo nunc pluribus uerbis. cui enim uestrum ignotum est, quàm arcte inter nos singulariterq; amaremus? cuius cum mihi amicitia rebus omnibus carior atque iucundior esset, eò studia mea cogitationesq; dirigebam, ut, quos ille maxime

amaret, ego quoque diligerem: factumq; ex eo est, ut uos proxime, atque ille, semper caros habuerim, magnosq; atque honestos esse concupierim. quibus nunc illius morte in lacrymis ac solitudine relictis, utinam Deus opt. max. tantam mihi facultatem daret, ut & uobis dolorem istum, squalloremq; eripere, & in eum, quo deiecti estis, locum restituere uos dignissimos possem. libenter enim utrunque efficerem: quoniam me in utroque sanctissimis illis manibus gratissimum facturum certo scirem. sed cum alterum fortuna in aliorum manu posuerit; à quibus hoc uobis expectandum est; alterum uero, ne uos consolatione aliqua iuuare possim, ægritudine ipsa mœroreq; mihi ademptum sit: uelim uos, optimi & concordissimi fratres, domesticum dolorem fraternumq; domesticis exemplis fraternisq; toleretis. quòd si eam ingenij indolem, quæ uestra est, ad illius imitationem contuleritis; præclaramq; morum, uirtutis, probitatis, animiq; cœlestis plane iuuenis illius effigiem, quantum in uobis erit, expresseritis: tum sane non exiguam dolori uestro leuationem inueneritis; tum eundem ipsum, qui antea fratrem uestrum omnibus uirtutibus atque doctrinis præditum suo beneficio auxerit,

xerit, ad uos eodem modo cohonestandos facile allicietis. Quæ nisi uos uestra sponte facturos esse, planeq; iam facere, cognoscerem; darem hoc Cosmi mei cineri atque ossibus, eiq; amori, qui etiam nunc uiget in me, uigebitq; tandiu, quoad uiuere desinam, ut uos in illius gratiam cohortarer ad ingenia excolenda, uirtutesq; eas toto animo capessendas, quæ tum, tranquillam ut uitam uiuamus, facile præstant, tum memoriam nostri in omne tempus omnesq; gentes disseminant. uerum, ut dixi, nihil necesse est. illud autem potius agedum; ut plane intelligatis, me amorem illum eundem meum, animum, memoriam tum erga fratrem uestrum, qui mihi mortuus non est, conseruare incolumem; tum, quoniam ille frui amplius ijs, quod unum mihi acerbissimum in uita contigit, minime potest, ad uos familiamq; uestram libenter transferre. qui si à mea fide ac diligentia omnia expectabitis, quæ uel ad pietatis in illum meæ testimonium, uel ad commodum utilitatemq; uestram pertinere poterũt: efficiam profecto, ut, neque me temere pollicitum, nec uos à me quicquam frustra sperasse, intelligatis. Valete unanimi ac suauissimi fratres, meisq; uerbis Beccatello uestro, Colonioq;

meo, si apud uos est, S. P. D. Venetijs, nonis Octobris, M. D. XXXVII.

Benedictus Rhambertus Paulo Manutio S.

EGO uero & eo à uobis animo discessi, ut hic non aliter uiuerem, quàm in urbe consueueram: et, quoniam idem à te probari intelligo, sequar consilium tuum: quod non ab amore modo profectum est, quo me mirifice prosequeris; sed etiã ab eo usu, qui te quondam istiusmodi pene morbo laborantem à corporis imbecillitate ad integram ualetudinem perduxit. itaque inuitatu etiam tuo, consuetudinem parce moderateq; uiuendi meam tenebo: quotidieq;, ut præcipis, exercitatione modica utar: atque in eo mihi satis, ut in malis est, lucri fecisse uidebor, quòd ex ista medicorum quasi lanionũ turba, uiuus effugerim. at, inquis, nihil agis, nisi iucunde uiuas. o mi Manuti, quàm tu mihi omnium hominum cantilenam recinis. et quis est, oro te, qui non idem præcipiat? facile, cum ualemus, omnes recta consilia ægrotis damus. equidem cum ex longa capitis imbecillitate perpetuo laborem; cumq; semper aliquis in stomachum, quia languens ac putidus

dus est, incurset dolor, qui possum esse non tristis? uel quia est quod doleat, uel quia earum rerum careo delectatione, quibus abundant alij. ocio fruor inertissimo, sine libris, ab omnibus negocijs non uoluntate liber, sed odiosa necessitate coactus. quin etiam, quo homini grauius accidere nihil potest, a mente ita deseror interdum, ut nec audire diutius loquentem quempiam, nec ego alloqui alios pro uoluntate, nec plane ad ullas meas cogitationes aciem ingenij possim intendere. quod uerum esse, si, quantum hæ literæ hallucinētur, aduertes, facile cognosces: hic tamen tu me ad animi tranquillitatem, atque etiam hilaritatem uocas. At uide qui sim. Ego, si perpetuam corporis inualetudinem moderate ferre, quin etiam mortem ipsam, ueluti Tantalo saxū, capiti meo semper impendentem sine ulla trepidatione conspicere, non modo tranquilli, sed etiam fortis animi est; tranquillissime uiuo. sed istam hilaritatem, quæ uerbo magis, quàm re, percipi potest; nunquam degustaui, neque ulla mihi spes ostenditur fore, ut ad eam aliquando perueniam: non enim ego, ut multi, uoluptatem aliquam possum à ludis, & a lasciuia petere, quam statim pœnitentiæ dolor consequitur: nec in ambitione, aut copijs iucundi-

tatem animi reponere: quas quidam ut consequantur insaniunt; & assecutas ne amittant, semper reformidant. uellem ut Deus, cui uisum est in tam uiridi, planeq; florenti ætate mihi corporis uires adimere, unum hoc mihi largiretur, ut animus meus ab omni alia cura solutus ac liber, in illius unius amore conquiesceret. tunc ego quidem non modo iucunde, sed plane etiam feliciter in perdita mea, propeq; desperata ualetudine uiuerem, omniumq; fortunas facile superarem. quod mihi ut aliquando contingat, non despero. interim uiam meditor, quæ munitissima sit, & maxime certa. ad quam tu inueniendam si quod artificium tenes, doce me. dedi satis reipublicæ, dedi priuatis occupationibus, & amicorum temporibus satis. corporis quoque curationibus tantum dedi, quantum humana ratione prouideri atque consilio potuit; neque, quo minus conualuerim, ulla mea culpa contractum est. omnia sensi esse falsa in spe, atque fallaci posita. igitur à Deo petenda salus et quies est. ad quem, ò mi Manuti, quid est, cur nos non omni festinatione properemus? uale. III. cal. Octob. M. D. XLIIII. ex Rosario meo.

Vbaldinus Bandinellus Petro Bembo S.P.D.

IACOBVS Sadoletus Cardinalis cum mihi caput quoddam literarum tuarum legisset, quo capite ad ea rescriptum erat, quæ is tecum meo rogatu, de meo non modo uirtutum tuarum honorificentiss. iudicio, uerum etiam perpetuo erga te studio egerat; etsi iisdem literis satisfactionem nostram accipere, teq; mihi placatum esse affirmabas, tamen, quòd à principio altius hæsisse tibi obtrectatorum meorum criminationes declarabas, quodq; eas magis amici gratiæ condonatas, quàm tibi satis purgatas significabas, faciendum mihi uisum est pro animi mei conscientia, proq; eo quanti te facio, ut aliquid iisdem de rebus ad te literarum darem, quibus aut uoluntatem meam tibi uere, planeq; probarem, aut illam apud cæteros certe testatam relinquerem: et quoniam omnis offensio orta est ex epistola quadam Nigri, quà ille cum ad te de iudiciis hominum urbanorum de tuis epistolis pontificiis perscriberet, me illas uehementer uituperare criminatus est, quomodo omnis hæc res acta sit, breuiter simpliciterq; narrabo. Ego cum in taberna libraria

braria forte adessem, adesseta; Molsa noster, aliiq; nõnulli; Niger autẽ, ut opinor, et certe non adesset, ortus est de his ipsis epistolis tuis sermo, quidamq; ex ijs, quid de illis sentirem, ex me quæsiuit. cui ego sine ulla cunctatione respondi, satis eas sua præscriptione laudatas uideri debere, quid enim inquam à Bembo proficisci nisi doctum atque elegans potest? tũ hoc addidi, me illos libros tamen uendibiliores putare fuisse futuros, nisi à certis uerbis obsoletis illis quidem, sed tamen huic scriptioni pene necessarijs, tantopere refugisses. cum enim tantum tuũ nomen esset, nemo non solum harum liberaliorum, humanarumq; artium studijs deditus, sed ne scriba quidem ullus, aut librarius eos habere noluisset, præsertim cum eius generis epistolæ sint, quæ in maxima parte in cæterar. formular. libris non extent. itaque me illas arbitrari pro dictatis, atque exemplis esse potuisse: sic uero cum tantum abhorreant ab forensi uerborum consuetudine, horum dico nostratium, neminem illos nisi doctum in manus sumpturum, eosq; ipsos magis ut, quomodo ueteres illi coss. aut prætt. locuti sunt, agnoscant, quàm quomodo nostri Pont. loquantur, addiscant. Atque hæc summa sententiæ meæ, siue, ut uerius dicam,

sermonis

ſermonis fuit. nam non tam ut de illis ſtatuerem, quod mea nihil referebat, quam ne nihil ſubito interroganti reſponderem, ea à me inſtituta eſt oratio. quæ ſi uere ad te perlata eſſet, quæ tua eſt non ſolum humanitas, uerum etiam prudentia, certo ſcio, æqui boniq; feciſſes. nam prior pars, ut mihi quidem uidetur, perhonorifica fuit, quæ tãtum tibi tribuerit, poſterior non contumelioſa, quæ nihil tibi niſi quod tu tantopere uitaras detraxerit. neque tamen te eum puto, qui, ſi quis in tuis ſcriptis aliquid reprehenderit, ei continuo inimicitias denunciandas cenſeas, cuius enim id intemperantiæ eſt? aut qui obtineri poteſt, ut homines etiam quæ non probent, laudent? quandoue hoc non licuit? nihil faciam inſolenter, nec tibi, homini hiſtoriæ peritiſſimo, cui hæc domi naſcuntur, commemorabo, qui uiri amicitiæ, cæterorumq; officiorum obſeruantiſſimi, neceſſariorum, atque familiariſs. ſcripta reprehenderint, neque ſolum ſine offenſione, uerum etiam plerunque cum gratia. & profecto ita ſe res habet. ut qui alterius librum corrigere conatur, ſi quid affert, quod in rem ſit, gratia ſit habenda: ſin autem, ut ſedulitatem non ames, nihil tamen ultra ſit, quàm ut ſtultitia rideatur, odio certe, aut ſimul

tate

etiam ne impudenter, palam, aperte mentiatur. si quidem illi fingere iam id integrum non est, qui cõmunibus amicis, hominibus grauiss. atque ornatiss. quos ad eum allegaui, ita respondit, se ea coniectura duci, ut id à me crederet esse ortum, quòd quendam, quo ego plurimum utor, sit nactus, qui libros illos improbaret. quod ut uerum sit, iam me non Sadoleti, sed accusatoris mei oratio, & testimonium omni culpa liberat. nisi solus ego ea conditione sum, ut, cum cæteri uix, aut ne uix quidem se præstent, ipse tum me, tum amicos etiam meos præstare debeam, addo in ea re, qua ne seruos quidem coercere possumus. quis enim unquam seruum constrinxit, quòd ei non placeret is scriptor, quem non probaret? & scilicet is uir est, quem Niger insimulat, qui, dum ego ei præscribam quid de quoque sensurus sit, expectet: ac non potius propter ingenium, doctrinam, nobilitatem, dignitatem, opes, quibus omnibus rebus ille abundat, me arroganter facere arbitretur, si quando meum iudicium à suo discrepare intellexerit. quo homine ego ita clementi, comi, benigno utor, ut tamen his illius uirtutibus mihi non abutendum perspiciam. Quare ut aliquando tam longam epistolam concludam, Nigrum tuum

parum

parum amice; parumq; prudenter fecisse dico, qui ad te rem parum compertam, pláneq; falsam pro certa detulerit, ex qua præsertim tantum odij exci tatum iri uideret: te autem ipsum, quòd tam cito credideris, quodq;, ut tuis uerbis utar, eam opinionem penitus indueris, non tam miror, quàm quod, cum te iam placatum ostenderes, tibi tamen temperare non potueris quin me asperrime admoneres, operam darem, ut quæ opinio de ingenio meo, doctrináq; est, eadem de innocentia esset. ad quæ ego ita tibi rescribo, atque respondeo, uitam meam actá monitis præceptisq; istis, quæ per se fortasse non in scita sint, apud me nullum locum reliquisse, sed à prima adolescentia semper me talem præbuisse, ut nemo tam mihi fuerit inimicus, qui me nocentem unquam appellarit. neque solum me industriæ, mo rumq; meorum, uerum etiam uitæ ualde pœniteret, si plus in me ingenij, aut doctrinæ, quàm innocentiæ esse sentirem. quippe, cum ingenium à natura tributum sit, doctrina autem non sine magnis facultatibus, quæ in fortunæ manu pleræque sunt, cõ paretur, sola innocentia in nostra potestate relinquitur. itaque illis impune, ac sine uituperatione caremus, hac sine scelere, ac sine supplicio carere

non

tuear. ac cum mihi singulari aduersus morbum superioribus mensibus fuerit adiumento cœli mutatio, quo etiam nunc utor præsidio; cumq; iam antea decreuissem per æstatem saltem & autumnum in locum commodiorem mihi esse migrandum: tamen multo id exequar constantius, tuis prudentissimis monitis in ea sententia confirmatus. S*aluiatum collegam nostrum, qui te summe diligit, summamq; tuam uirtutem plurimi facit, per literas saluere tuo nomine iubebo: quodq; & illi, & bonis omnibus magno futurum est gaudio, nunciabo, tertium librum de ædificatione ecclesiæ te esse aggressum scribere, secundo iam absoluto.* V*ale.* XV. *cal.* O*ctob.* 1541. V*enetijs.*

P*aulo* III. P*ont.* M*ax.* B*enedictus* A*ccoltus* C*ardinalis* R*auennæ* S. P.

SANCTITATIS *uestræ gratissimæ literæ ad* III *nonas* N*ouembris datæ, mihi pridie idus redditæ sunt, cum acerbissimo cruciatu difficilis morbi, qui renibus atque intestinis pertinaciter inhæserat, febriq; item uehementissima non multo ante conflictatus essem. et ut uoluptatem ijs legen*

dis

dis cepi maximam, quia me ad urbem, redeundi cupidum, uerbis honorificentissimis euocarent: sic dolorem hausi prorsus incredibilem, quòd ita contigisset, ut eam uoluntatem, qua ego incitatus, ad beatissimum sanctitatis uestræ gremium, tanquam ad exoptatum nidum, reuolare statim cupijssem, aduersæ ualetudinis molesta difficultas impediret. Non est ignotum sanctitati uestræ, quæ etiam meã uicem aliquando miserata, pro paterna quadam pietate indoluit, quàm crebro, & quàm grauiter, modo ex renibus, modo ex intestinis, anno superiore laborarim, cum fere quotidie, genere dolorũ acutissimo confixus, quos semper febris consecuta est, dubia spe uitæ spiritum misere ducerem. illius periculi memoria, & impendentis timore adductus, putaui diligenter mihi esse operam dandam, ut meam ualetudinem, uehementer ex ægrotatione quatefactam, aduersus importunam atque adeo horribilem morbi tam infesti uim, aliquo remedio munirem: præsertim cũ ex ijsdem doloribus quotannis solitus essem periculose ægrotare. itaque cũ medicos consuluissem, ijq; mihi respondissent, plane sibi uideri, necessarium esse, ut aquis uterer Regiensibus primum, deinde Lucensibus; feci, &

utrisque sum usus. sed, ut est incertus nostrorum consiliorum euentus, accidit infeliciter. nam aquarum magna ui epota, & omnibus rebus ad præscriptum medicorum prope cum religione seruatis, tamen quod maxime factum oportuit, id quidem nõ euenit, ut renibus necessaria refrigeratione roboratis, diuturnus, ac multiplex morbus depelleretur; quod autem minus oportuit, id est effectum, ut & in febrem assiduam, doloresq; acriores inciderim; & in stomacho glacies quasi quædam consederit. Habet sanctitas uestra, quæ me causa, diutius quam uoluntas fuit, in his locis morata est. accessit etiam altera, de qua, morbo periculosissimo afflictus, hactenus ad illam non scripsi; qua quidem maiorem in modum, his tantis omnium rerum perturbationibus, hoc præsertim præstantissimo Duce non leuiter ægrotante distineor, magnæ scilicet curæ munus mihi nuper à Cæsare, singulari quadam summæ uoluntatis significatione assignatum, neque solum ad priuatas illius, easq; maximi ponderis rationes, uerum etiam ad summam Christianæ reip. magnopere pertinens, quod omne sanctitas uestra à clarissimo uiro Cæsaris legato plenius poterit cognoscere. Nunc sanctitatem uestram supplicitem

pliciter rogo, ut pro ea bonitate atque clementia, qua & omnes, & me quidem semper imprimis est complexa, spatium, dum à morbo confirmor, dumq; Cæsari, de me optime merito, aliquam, ad ipsius uoluntatem, gratiam refero, cum profligatæ & pene perditæ ualetudini, tum grati hominis officio concedat. cuius pedes sanctissimos cum ueneratione humiliter osculans, ac illi perpetuam in uita felicitatem exoptans, me ex omnibus intimis animi mei sensibus commendo. Florentiæ. XVII. cal. Decemb. M.D. XLIIII.

Benedictus Rhambertus Philippo Gherio fratribusq; S. D.

QVANTVM *mihi mœroris attulerint Ludouici Beccatelli literæ, quas de Cosmi Gherij Episcopi, diuini plane iuuenis, fratris uestri, optimi atque sanctissimi, morte ad Bembum scripserat, nõ commemorabo nunc pluribus uerbis. cui enim uestrum ignotum est, quàm arcte inter nos singulariterq; amaremus? cuius cum mihi amicitia rebus omnibus carior atque iucundior esset, eò studia mea cogitationesq; dirigebam, ut, quos ille maxime*

amaret, ego quoque diligerem: factumq; ex eo est, ut uos proxime, atque ille, semper caros habuerim, magnosq; atque honestos esse concupierim. quibus nunc illius morte in lacrymis ac solitudine relictis, utinam Deus opt. max. tantam mihi facultatem daret, ut & uobis dolorem istum, squalloremq; eripere, & in eum, quo deiecti estis, locum restituere uos dignissimos possem. libenter enim utrunque efficerem: quoniam me in utroque sanctissimis illis manibus gratissimum facturum certo scirem. sed cum alterum fortuna in aliorum manu posuerit; à quibus hoc uobis expectandum est; alterum uero, ne uos consolatione aliqua iuuare possim, ægritudine ipsa mœroreq; mihi ademptum sit: uelim uos, optimi & concordissimi fratres, domesticum dolorem fraternumq; domesticis exemplis fraternisq; toleretis. quòd si eam ingenij indolem, quæ uestra est, ad illius imitationem contuleritis; præclaramq; morum, uirtutis, probitatis, animiq; cœlestis plane iuuenis illius effigiem, quantum in uobis erit, expresseritis: tum sane non exiguam dolori uestro leuationem inueneritis; tum eundem ipsum, qui antea fratrem uestrum omnibus uirtutibus atque doctrinis præditum suo beneficio auxerit,

xerit, ad uos eodem modo cohonestandos facile allicietis. Quae nisi uos uestra sponte facturos esse, planeq; iam facere, cognoscerem; darem hoc Cosmi mei cineri atque ossibus, eiq; amori, qui etiam nunc uiget in me, uigebitq; tandiu, quoad uiuere desinam, ut uos in illius gratiam cohortarer ad ingenia excolenda, uirtutesq; eas toto animo capessendas, quae tum, tranquillam ut uitam uiuamus, facile praestant, tum memoriam nostri in omne tempus omnesq; gentes disseminant. uerum, ut dixi, nihil necesse est. illud autem potius agēdum; ut plane intelligatis, me amorem illum eundem meum, animum, memoriam tum erga fratrem uestrum, qui mihi mortuus non est, conseruare incolumem; tum, quoniam ille frui amplius ijs, quod unum mihi acerbissimum in uita contigit, minime potest; ad uos familiamq; uestram libenter transferre. qui si à mea fide ac diligentia omnia expectabitis, quae uel ad pietatis in illum meae testimonium, uel ad commodum utilitatemq; uestram pertinere poterũt: efficiam profecto, ut, neque me temere pollicitum, nec uos à me quicquam frustra sperasse, intelligatis. Valete unanimi ac suauissimi fratres, meisq; uerbis Beccatello uestro, Colonioq;

meo, si apud uos est, S. P. D. Venetijs, nonis Octobris, M.D.XXXVII.

Benedictus Rhambertus Paulo Manutio S.

EGO uero & eo à uobis animo discessi, ut hic non aliter uiuerem, quàm in urbe consueueram: et, quoniam idem à te probari intelligo, sequar consilium tuum: quod non ab amore modo profectum est, quo me mirifice prosequeris; sed etiã ab eo usu, qui te quondam istiusmodi pene morbo laborantem à corporis imbecillitate ad integram ualetudinem perduxit. itaque inuitatu etiam tuo, consuetudinem parce moderateq; uiuendi meam tenebo: quotidieq;, ut præcipis, exercitatione modica utar: atque in eo mihi satis, ut in malis est, lucri fecisse uidebor, quòd ex ista medicorum quasi lanionũ turba, uiuus effugerim. at, inquis, nihil agis, nisi iucunde uiuas. o mi Manuti, quàm tu mihi omnium hominum cantilenam recinis. et quis est, oro te, qui non idem præcipiat? facile, cum ualemus, omnes recta consilia ægrotis damus. equidem cum ex longa capitis imbecillitate perpetuo laborem; cumq; semper aliquis in stomachum, quia languens ac putidus

dus est, incursct dolor, qui possum esse non tristis? uel quia est quod doleat, uel quia earum rerum careo delectatione, quibus abundant alij. ocio fruor inertissimo, sine libris, ab omnibus negocijs non uoluntate liber, sed odiosa necessitate coactus. quin etiam, quo homini grauius accidere nihil potest, a mente ita deseror interdum, ut nec audire diutius loquentem quempiam, nec ego alloqui alios pro uoluntate, nec plane ad ullas meas cogitationes aciem ingenij possim intendere: quod uerum esse, si, quantum hæ literæ hallucinētur, aduertes, facile cognosces. hic tamen tu me ad animi tranquillitatem, atque etiam hilaritatem uocas. At uide qui sim. Ego, *si perpetuam corporis inualetudinem moderate ferre, quin etiam mortem ipsam, ueluti* Tantalo *saxū, capiti meo semper impendentem sine ulla trepidatione conspicere, non modo tranquilli, sed etiam fortis animi est; tranquillissime uiuo. sed istam hilaritatem, quæ uerbo magis, quàm re, percipi potest, nunquam degustaui, neque ulla mihi spes ostenditur fore, ut ad eam aliquando perueniam: non enim ego, ut multi, uoluptatem aliquam possum à ludis, & a lasciuia petere, quam statim pœnitentiæ dolor consequitur: nec in ambitione, aut copijs iucundi-*

 tatem

tatem animi reponere: quas quidam ut consequantur insaniunt; & assecutas ne amittant, semper reformidant. uellem ut Deus, *cui uisum est in tam uiridi, planeq; florenti ætate mihi corporis uires adimere, unum hoc mihi largiretur, ut animus meus ab omni alia cura solutus ac liber, in illius unius amore conquiesceret. tunc ego quidem non modo iucunde, sed plane etiam feliciter in perdita mea, propeq; desperata ualetudinem uiuerem, omniumq; fortunas facile superarem. quod mihi ut aliquando contingat, non despero. interim uiam meditor, quæ munitissima sit, & maxime certa. ad quam tu inueniendam si quod artificium tenes, doce me. dedi satis reipublicæ, dedi priuatis occupationibus, & amicorum temporibus satis. corporis quoque curationibus tantum dedi, quantum humana ratione prouideri atque consilio potuit; neque, quo minus conualuerim, ulla mea culpa contractum est. omnia sensi esse falsa in spe, atque fallaci posita. igitur à* Deo *petenda salus et quies est. ad quem, ò mi* Manuti, *quid est, cur nos non omni festinatione properemus?* Vale. III. *cal.* Octob. M. D. XLIIII. *ex* Rosario *meo.*

Vbaldinus

Vbaldinus Bandinellus Petro Bembo S.P.D.

IACOBVS Sadoletus Cardinalis cum mihi caput quoddam literarum tuarum legisset, quo capite ad ea rescriptum erat, quæ is tecum meo rogatu, de meo non modo uirtutum tuarum honorificentiss. iudicio, uerum etiam perpetuo erga te studio egerat; etsi ijsdem literis satisfactionem nostram accipere, teq; mihi placatum esse affirmabas, tamen, quòd à principio altius hæsisse tibi obtrectatorum meorum criminationes declarabas, quodq; eas magis amici gratiæ condonatas, quàm tibi satis purgatas significabas, faciendum mihi uisum est pro animi mei conscientia, proq; eo quanti te facio, ut aliquid ijsdem de rebus ad te literarum darem, quibus aut uoluntatem meam tibi uere, planeq; probarem, aut illam apud cæteros certe testatam relinquerem: et quoniam omnis offensio orta est ex epistola quadam Nigri, quà ille cum ad te de iudicijs hominum urbanorum de tuis epistolis pontificijs perscriberet, me illas uehementer uituperare criminatus est, quomodo omnis hæc res acta sit, breuiter simpliciterq; narrabo. Ego cum in taberna libraria

braria forte adessem, adessetq; Molsa noster, aliiq; nõnulli; Niger autẽ, ut opinor, et certe non adesset, ortus est de his ipsis epistolis tuis sermo, quidamq; ex iis, quid de illis sentirem, ex me quæsiuit. cui ego sine ulla cunctatione respondi, satis eas sua præscri ptione laudatas uideri debere, quid enim inquam à Bembo proficisci nisi doctum atque elegans potest? tũ hoc addidi, me illos libros tamen uendibiliores putare fuisse futuros, nisi à certis uerbis obsoletis illis quidem, sed tamen huic scriptioni pene necessariis, tantopere refugisses. cum enim tantum tuũ nomen esset, nemo non solum harum liberaliorum, humanarumq; artium studiis deditus, sed ne scriba quidem ullus, aut librarius eos habere noluisset, præsertim cum eius generis epistolæ sint, quæ in maxima parte in cæterar. formular. libris non extent. itaque me illas arbitrari pro dictatis, atque exemplis esse potuisse: sic uero cum tantum abhorreant ab forensi uerborum consuetudine, horum dico nostratium, neminem illos nisi doctum in manus sumpturum, eosq; ipsos magis ut, quomodo ueteres illi coss. aut prætt. locuti sunt, agnoscant, quàm quomodo nostri Pont. loquantur, addiscant. Atque hæc summa sententiæ meæ, siue, ut uerius dicam, sermonis

sermonis fuit. nam non tam ut de illis statuerem, quod mea nihil referebat, quam ne nihil subito interroganti responderem, ea à me instituta est oratio. quæ si uere ad te perlata esset, quæ tua est non solum humanitas, uerum etiam prudentia, certo scio, æqui boniq; fecisses. nam prior pars, ut mihi quidem uidetur, perhonorifica fuit, quæ tãtum tibi tribuerit, posterior non contumeliosa, quæ nihil tibi nisi quod tu tantopere uitaras detraxerit. neque tamen te eum puto, qui, si quis in tuis scriptis aliquid reprehenderit, ei continuo inimicitias denunciandas censeas. cuius enim id intemperantiæ est? aut qui obtineri potest, ut homines etiam quæ non probent, laudent? quandoue hoc non licuit? nihil faciam insolenter, nec tibi, homini historiæ peritissimo, cui hæc domi nascuntur, commemorabo, qui uiri amicitiæ, cæterorumq; officiorum obseruantissimi, necessariorum, atque familiariss. scripta reprehenderint, neque solum sine offensione, uerum etiam plerunque cum gratia. & profecto ita se res habet. ut qui alterius librum corrigere conatur, si quid affert, quod in rem sit, gratia sit habenda: sin autem, ut sedulitatem non ames, nihil tamen ultra sit, quàm ut stultitia rideatur, odio certe, aut simul

tate

tate nihil dignum est. uerum hæc ego ita disputo, quasi te reprehenderim. à quo quando tantum absum, ut etiam amplissime laudarim, his missis, ad Nigrum ueniam; quem ego hominem neque uituperare debeo, cum ipse de eo male non existimem; neque laudare possum, cum ille de me bene nec existimet, nec mereatur. itaque tãtum dicam: idipsum quod in me grauius scripsit, siue odio mei, quod nullo meo merito susceptum ego mihi conscius sum; siue maleuolentia quadam, quod tamen nunquam putaui; sine errore, quod potius conijcio, id eum falso scripsisse. ac ne me putes testis locupletis, ut tu appellas, inficiando eleuare fidem conari, dabo ego quoque testes, quos spero minime tibi capite censos uisum iri, atque ut Sadoletum prætercam, qui epistola sua grauissime obsignatum testimonium misit, qui ita uir est non solum ampliss. uerum etiam constantiss. atque grauiss. ut nullius eum gratia de fide, et religione dimoueret, ita autem tum mei, tum tui, tum Nigri est amans, ut, etiam si sit gratiæ locus, nunquam me unum uobis ambobus, ut leuissime dicam, præponeret. uerum quoniam epistola tua magis te significat huius auctoritati crimen cõdonare, quàm testimonio fidem habere, dabo alios

homines

homines itidem tui studiosos familiariss. meos, quos neque pro cotidiana consuetudine tale quicquam celare potuissem, neque, si iis me patefecissem, pro ea obseruantia qua te prosequuntur magis uoluntati meæ, quàm existimationi tuæ consulerent: itaque tu uel Molsam, uel Io. Casam, uel Carolum Gualterucium roges licet. hi tibi omnes me non modo quicquam contra dignitatem tuam locutum negabunt, sed multa etiam cum tua summa laude coniuncta prædicare solitum affirmabunt. Poterit etiã tibi fidem facere Flaminius Tomarotius, qui etsi mihi pro suis suauiss. moribus est cariss, tamen, quòd ita tempora eius tulerunt ut maximam partem ætatis abesset ab urbe, & in istis locis uiueret, minus mihi est quàm cuperem familiaris. is aliquoties interfuit, cum ego cum communibus amicis de hac iniuria mihi à Nigro imposita quererer, uisusq; est, ut est uir optimus, & humaniss. uehementer æquitate expostulationis meæ commoueri. sed quid ego his utor testibus? illum ipsum, qui in hac re mihi grauiss. est aduersarius, licet rogare, ecquid ea, quæ me dixisse insimulat de me audierit? ecquid ex aliquo, qui is ex me saltem audisse diceret? utcunque neget necesse est, non solum ne mentiatur, uerum etiam

etiam ne impudenter, palam, aperte mentiatur. si quidem illi fingere iam id integrum non est, qui cómunibus amicis, hominibus grauiss. atque ornatiss. quos ad eum allegaui, ita respondit, se ea con iectura duci, ut id à me crederet esse ortum, quòd quendam, quo ego plurimum utor, sit nactus, qui libros illos improbaret. quod ut uerum sit, iam me non Sadoleti, sed accusatoris mei oratio, & testimonium omni culpa liberat. nisi solus ego eà conditione sum, ut, cum cæteri uix, aut ne uix quidem se præstent, ipse tum me, tum amicos etiam meos præstare debeam, addo in ea re, qua ne seruos quidem coercere possumus. quis enim unquam seruum constrinxit, quòd ei non placeret is scriptor, quem non probaret? & scilicet is uir est, quem Niger insimulat, qui, dum ego ei præscribam quid de quoque sensurus sit, expectet, ac non potius propter ingenium, doctrinam, nobilitatem, dignitatem, opes, quibus omnibus rebus ille abundat, me arroganter facere arbitretur, si quando meum iudicium à suo discrepare intellexerit. quo homine ego ita clementi, comi, benigno utor, ut tamen his illius uirtutibus mihi non abutendum perspiciam. Quare ut aliquando tam longam epistolam concludam, Nigrum tuum parum

parum amicè, parumq́; prudenter fecisse dico, qui ad te rem parum compertam, planeq́; falsam pro certa detulerit, ex qua præsertim tantum odij excitatum iri uideret: te autem ipsum, quòd tam citò credideris, quodq́;, ut tuis uerbis utar, eam opinionem penitus indueris, non tam miror, quàm quod, cum te iam placatum ostenderes, tibi tamen temperare non potueris quin me asperrime admoneres, operam darem, ut quæ opinio de ingenio meo, doctrinaq́; est, eadem de innocentia esset. ad quæ ego ita tibi rescribo, atque respondeo, uitam meam actã monitis præceptisq́; istis, quæ per se fortasse non inscita sint, apud me nullum locum reliquisse, sed à prima adolescentia semper me talem præbuisse, ut nemo tam mihi fuerit inimicus, qui me nocentem unquam appellarit. neque solum me industriæ, morumq́; meorum, uerum etiam uitæ ualde pœniteret, si plus in me ingenij, aut doctrinæ, quàm innocentiæ esse sentirem. quippe, cum ingenium à natura tributum sit, doctrina autem non sine magnis facultatibus, quæ in fortunæ manu pleræque sunt, cõparetur, sola innocentia in nostra potestate relinquitur. itaque illis impune, ac sine uituperatione caremus, hac sine scelere, ac sine supplicio carere

non

possumus. Ego uero, qui me tecum nec ingenij magnitudine, nec doctrinæ copia ne comparem quidē, idem, ut tu homo innocentiss. innocentior sis quàm ego sum, tibi non concedo, mirorq; quomodo tibi istuc in mentem uenire potuerit, ut tam leui de causa homini minime malo, abs te certe nō alieno tā grauiter malediceres. cæterum quando ita se mores habent, quandoq; apud te hominum maleuolorum ficta crimina, quàm grauiss. uirorum constantiss. testimonia, plus ualent; feram id quoque: à te autem tantum petam, ut hanc totam rem inquisitam ne amittas, ut &, quantum cuique posthac credendum sit discas, & me abs te immeritissimo meo accusatū reperias. Ego interea, ut ut hæc sunt, nihil de mea erga te obseruantia diminuam. erit tamen sapientiæ, humanitatisq; tuæ, ut, quod ego mea sponte facturus utique sum, id etiā ut libenter facere possim curare. quam ad rem nulla alia opera, quàm animi tui æquitate, opus est. quòd si in me durior esse uoles, ego tamen hoc consequar, ut omnes intelligant me nihil maluisse, quam te mihi esse amicum, postea uero quam per te id non licuerit, nunquam tamen noluisse me tibi esse inimicum. Vale. XIIII. cal. Mart. M.D.XXXVII. Romæ.

Cosmus

Cosmus Gherius Episcopus Fanensis Cardinali Contareno S. D.

LVDOVICVS *Beccatellus familiaris tuus, necessarius meus, proxime ad me scripsit effectum esse tua singulari humanitate, ut quaecunque mihi opus hoc tempore esset à Pontifice Maximo obtinere, ea nobis omnia per te unum cumulatissime impetrarentur, itaq; mihi pro certo significauit breui se tria diligentissime scripta diplomata mihi missurum, unum, quo res mea familiaris ualde iuuabitur, cum grauissimus portorij oneribus uectigalia nostra subleuentur: altera duo quorum auctoritate Christi rem, & causam in hac ciuitate maxime defendemus: unum enim ad fœnerationis turpissimum crimen comprimendum pertinet, alterum ualet ad instituendam rationem quemadmodum egentes, & mendici facultatibus ijs non fraudentur, quae bonorum hominum testamentis ad eorum sustentationem sunt relictae. ignosce mihi, quae tibi notissima sunt nihilominus tamen referenti. Primum enim quorum beneficiorum impetratio magnopere me adiuuat, eorum etiam commemoratio*

plurimum delectat. Deinde uideor mihi, singulis eorum diplomatum causis enumerandis, satis etiam de ijs causis dixisse: quamobrem magnæ tibi gratiæ sint à nobis agendæ. agam autem paucis, & cum res ipsæ per sese copiosissime loquantur, ego tantum breui dicam: quæ mihi obtinuisti, cũ propter cæteras causas grata mihi optatáq; accidisse, tum etiam eo nomine fuisse maxime iucunda, quod à te proficiscerentur: multum enim interest à quo beneficium accipias. ego uero non intelligo à quo magis defendi, et adiuuari uelle, quàm à te, debeã. itaque quod non uno nomine, sed tribus, ijsq; grauissimis, uno, eodemq; tempore tibi potissimum obligatus sim: sane uehementer cum mea, tum ecclesiæ meæ causa gaudeo. sed ad alia tria nomina mihi ueniendum est, multo grauiora, multoq; clariora, quæ Ludouici epistola legenda mihi dedit, quibus non modo me, sed uniuersam ecclesiam maiorem in modum tibi deuinxisti, eiq; iustissimam lætitiæ causam attulisti: quis enim recte sentiens ex Theatini, Sadoleti, Poli summa dignitate summe non lætetur? ego uero non dubitabam, neque dubitari intelligebam, quin tuo maxime auxilio, ac studio, florentissimi, ac sanctissimi ætatis nostræ homines in amplissimum

ſimum collegium cooptati eſſent. Quamobrem gratulor tibi, primum quòd ex Cardinalatus tui, quaſi ſemente, eam Cardinalium tui ſimiliũ frugem Deus colligere uelle uideatur, quæ ſit in ueterem ſuam dignitatem Chriſtianam Remp. triſtiſſimis temporibus uindicatura: deinde pro meo Epiſcopi, & Chriſtiani officio, qui Remp. rectiſſime, ut debeo, conſtitui deſidero, gratias tibi immortales ago, quod eius rei ſpem quotidie nobis uirtus tua magis augeat. uerum quoniam neque gratulationem, neque gratiarum actionem te ab hominibus ex benefactis tuis expectare certo ſcimus, qui non his præmijs, ſed Chriſti caritate ad bene faciendum moueare: non eſt ea mihi pluribus rebus utendum. ſat erit officio & ueritati datum eſſe, quod ei liquido debebatur. De reliquo Deus orandus uehemẽter eſt, ut te in primis conſeruet, amplificetq́; , quo tanquam architecto pulcherrimam, & firmiſſimam eccleſiæ fabricam ædificatum iri ſperamus. ego, quòd epiſcopatus mei patrocinium ſuſceptum habes, operam dabo, ut hæc clientela uoluptati tibi ſit: cum intelliges huius diœceſeos rationes fideliter, & ſtudioſe à nobis adminiſtrari. Tibi quidem ex Ludouici literis, cum publico nomine, tum meo ipſius priuato

Christi uniuersæ etiã atque etiàm magnopere gratulandum non dubito. Quæ cum à te præter cæteros tanquam carissima, ac sanctissima mater obseruetur: hoc certe nomine gratulari tibi quoque debemus, quòd ostendendæ in eam pietatis tuæ facultas tibi tanto maior est data, quanto gradus iste maior, & illustrior illo est, in quo eras. quòd si, te nullum magistratum gerente, sed à Christianæ rei. publicæ administratione longissimè absente, eius tamen confirmandæ, & constituendæ maximam in te uno spem omnes boni positam habebant: quid nunc eos facere putas, cùm ad eius gubernaculum diuino quodam auxilio te in primis uocatum esse, sentiant? Profecto nihil est tantum, quod à uirtute, sanctitateq; tua non expectetur. Quod uel summa grauitas tua pateretur, uel adolescentiæ meæ conueniret, non commisissem, ut in tam amplo, & excellẽti argumento tam pauca scriberem: sed neque multis apud te uerbis opus est: & ego, multa potius silendo, quàm scribendo, modestiam eam tuebor, quam habere semper opto. quare, ijs prætermissis præclarissimis maximisq; rebus, quæ à te Cardinali iure optimo expectantur, hoc duntaxat ascribam: mihi quidem Cardinalatum tuum, mirifi-

eam ac singularem lætitiam attulisse. quæ lætitia cum ad omnes bonos pertinere mihi communiter ui deatur, quemadmodum initio scripsi, ego, qui esse in eorum numero uehementer uelim, teneri non po tui, quin absens eius rei signum aliquod ac testimo nium his literis, pro mea parte tibi mitterem. Deus modo faxit, ut gaudium, quod in Cardinalatu tuo nobis attulit, id ipsum in tua dignitate quotidie am plificanda magis cumulet. Vale.

Cosmus Gherius, Episcopus Fanensis, Petro Carne-
siccio Protonotario Apost. S.D.

ETSI contra iudicium, uoluntatemq; meam fa ctum est, ut hanc epistolam, quam multis ante die- bus ad te dare decreueram, in hunc usque diem scri bere distulerim, quia, ubi constitisses, nondum au- diebamus: tamen sic accidisse non permoleste fero. neque enim dubito, quin meæ literæ si primis illis diebus ad te allatæ fuissent, quibus recens grauissi- mus dolor in animo tuo uersabatur, ita te affectum, atque commotum offendissent, ut amore, & consi- lio suo leuare, ac sedare perparum possent. nunc ue ro, cum summus animi tui dolor partim prudentia,

quæ singularis in te est; partim die ipsa magna ex parte diminutus esse debeat; sperandum est, quicquid etiam leuioris medicinæ adhibeatur, id ualde profecturum. quanquã ego non medicus, sed ægritudinis tuæ socius, & particeps potius sum: existimauiq; diem illum, quo Clementem VII. Pontificem Maximum, decessisse audiui, mihi quoque luctuosissimum, atque acerbissimum accidisse. interrupit enim ille non solum ueterum consiliorum, & cogitationum mearum cursum; sed omnes meas nouas spes, quarum tu fautor adiutorq; esse solebas, intercidit, atque extinxit. sed tamen, cum nullum ex dolore fructum, nisi amarum, atque acerbum, colligi uiderem; frustraq; de ijs rebus homines queri intelligerẽ, quæ aliter sese habere non possunt; faciendum mihi existimaui, ut non modo dolori meo non cederem, uerum, quoad possem, acriter illi ac fortiter repugnarem. est uero id multo magis laborandum tibi. nam præter illa, quæ afferri ad consolationem communiter solent, uerissimaq; sunt, est tibi uni præcipuè cauendum, ne dolore grauius affligare, quàm summa hominis uirtus, & constantia patiatur. iudicium enim illud, quod idem ille Clemens in te contulit, quo grauius aut honorificen-

idem, qui semel esse cœpi, in te semper ero, hoc est, tui amantissimus, atque obseruantissimus: idq; ut tibi persuadeas, uehementer uelim. Vale.

Cosmus Gherius, Episcopus Fanensis, Giberto Episcopo Veronensi S. D.

DE quibus rebus, si præsens essem, te adire, tibiq; pro mea in te obseruantia gratulari maximopere conueniret, de ijs, ut opinor, minime abhorret ab officio meo, si tecum absens per literas agam. nã cum est ad nos allatum magnos illos amicos tuos, (tuos autem, cum dico, uirtutis & pietatis, & religionis intelligo) in Cardinalium collegium cooptatos esse, existimaui tantam lætitiam te ex eo cepisse, ut non magis illis, quàm tibi, gratulandum esset. Primum enim Reipublicæ Christianæ caritas uehementer te cõmouisse debet. s. ut gauderes, ad eam gubernandam illos accedere, in quorum sapientissimis integerrimisq; consilijs, non solum spes, sed etiam salus, & incolumitas constituta sit. Deinde propria quædam ratio lætitiam tuam iure optimo cumulare potuit, quòd eos, quos omni necessitudinis uinculo coniunctissimos habes, non solum Cardinales

dinales factos uides, sed ipse quodammodo Romam ad Cardinalatum deduxisti. Quare cum Reip. causa tibi gratulor, tum etiam tua: & ut ecclesiæ salutaris, tibiq; quotidie magis iucundus accidat summorum uirorum honor, uehemẽter opto. sed altera noua res, ijsdem nuntijs ad nos perlata fuit, de qua minime silendum uidetur: te scilicet iterum esse Datarium creatum. ego quidem in hoc uno nuntio tantam uim esse existimaui, ut magnam propterea & certam spem caperem, serio iam & uere de Christi ecclesia confirmanda tractari, et, ea re audita, Pauli III. Pontificis Maximi sanctitatem, & prudentiam plurimum amaui, qui uacillanti ecclesiæ talium uirorum adminicula afferat. Facilitatem uero tuam, & pietatem incredibilem sane sum admiratus, qui magistratum laboriosissimum, & dignitate tua multo minorem, olim etiam à te reiectum, nunc tamen, ecclesiæ causa, tibi suscipiendum, & sustinendum duxeris. Quòd si gratulatio, quæ uirtuti et pietati debetur, multo maior ea est, quàm quæ honoris, & dignitatis causa fit, certe nõ dubito, quin tibi sit hoc nomine uehementissime gratulandum, neque uero gratulandum solum, sed etiam ab omnibus ecclesiæ ordinibus gratiæ singulares agendæ.

dæ. Hactenus officium illud his literis præstitum esse iudico, quod ego pro mea in te obseruantia tibi debebam. Quod superest, Deum quæso, ut optimis, ac plane diuinis principijs exitus consentiant: id est, ut te, tuiq́; similes quamamplissima semper auctoritate in Rep. Christiana faxit esse. Vale.

Cosmus Gherius, Episcopus Fanensis, Bernardino Maffeo S. D.

NAE *istud silentij genus amabile, & pereloquens est: ad amicorum scilicet literas, & postulata, non literas, sed res ipsas studio & amore confectas remittere: quemadmodum nuper mecum fecisti: cum onere illius tributi, quod à Clemente superioribus annis impositum sacerdotibus fuerat, me patroni tui liberalitate leuari curasti. ego uero te ita facientem, cum nihil rescribis, non modo non tacere iudico, sed etiam elegantissime & significantissime loqui mihi persuadeo, laudoq́; iudicium tuũ, qui te à Lampridio Romam ad Alexandrũ Cardinalem, alterius, & solidioris eloquentiæ magistrum, contuleris. nunquam enim istos habuisses Patauij progressus, qui non solum laudi tibi, sed etiam tuis amicis*

aut addi aut detrahi possit, uideatur; quippe qui eas nondum uidi, & tu fortasse in eo prudens, quòd non misisti. sed hæc iocati sumus. à te nihil nisi elegans, et limatũ expectari debet. Vale.

Simon Villanouanus Hieronymo Sauorniano S. D.

VELLEM *ut quo animo in te, ac liberos & fui semper, & nunc quidem sum, aut ego declarare, aut tu certo aliquo signo colligere posses. gratum tibi, opinor, esset studium meum. nempe intelligeres non mihi uoluntatem obsequendi tibi deesse, sed facultatem. in quo equidem mihi fortunam inuidere arbitror, nec sinere, ut præstanti natura adolescentes perpolire, atque omnibus artis coloribus ornare possim, ut ne uidelicet sit id uinculum amoris inter nos perpetui, & monimentum industriæ meæ sempiternum.* Itaque *quemadmodum, si* Apelles, *aut si* Protogenes, *uel quiuis, eximiæ pulchritudinis speciem animo complexus, cum ad eam exprimendam, artem manumq; dirigeret, subito casu prohiberetur, magnam credo molestiam traheret; sic ego qui ad singularem adolescentiæ formam, iam mente, & cogitatione designatam, para*

ram

ram omnes meas arculas, ut sum impeditus, non potui non uehementer dolere. Huic acerbitati accedit & illa, quod uereor inconstantiæ, ac inhumanitatis nominè suspectus tibi sim, qui operam meã sponte oblatam antea quidem non præstiterim, hoc uero tempore denegare cogar. mihi in tanta solicitudine ad leuandum animum meum uehementer opus est sapientia, & æquitate tua. Quam ob rem peto à te bonæ de me opinionis usuram tantisper, dũ utriusque temporis rationem paucis apud te explico, ut illam, si me culpa uacare ostendero, perpetuo retineas, sin minus, deponas confestim, atque abijcias. Ego, quo die primum sum a te accersitus, complexus sum libenter cõditionem, quod de tuis, ac liberorum laudibus sæpe audieram: cumq; grauiss. febre tum opprimerer, statim, ut per ualetudinem potui, contuli me Venetias, ea mente, ut te isthuc prosequerer, quo quidem animi causa excurrisse putabam. Illic ut fui, mihi narratum est de consilio tuo & profectionis, & remansionis. ego qui in luce hominum, & uixeram antea, & uiuendum esse statueram, deterritus sum cum solitudine loci, quæ dicebatur, tum aeris insolentia. Itaque mihi meum consilium displicere cœpit, nec putaui

proficiscendum

proficiſcendum ad te, cuius uoluntati obſequi poſſe deſperabam, præſertim qui intelligerem quam moleſtus foret aduentus hoſpitis adhuc languentis è morbo. Vides Sauorniane nihil dum à me factum eſſe, quod animum tuum offendere debeat; aut in quo tu officium meum iure accuſare poſſis: Mea in te uoluntas clara extitit, & conſilium errore captũ non ſine cauſa mutatum eſt. alterum ſequitur, in quo ſi eſt crimen, profecto neceſſitatis eſt. Nam cũ ſtatutum haberem quærendum omnino mihi aliquid, in quo certum eſſet fortunis meis præſidium, Ventidius bibliopola, homo ſingulari & fide, & pietate erga te, multis uerbis cohortatus eſt, ut ad te irem. reſpondi me uelle omnia tua cauſa, ſed eſſe opus feſtinatione: nam eum, quo cum uiuebam, ita mihi moleſtum, ut ipſius faſtidium non modo præceptori, ſed ne libero homini ferendum eſſe putarẽ. poſtridie Idus Nouemb. aut ab eo diſcedendum, aut, quod nollem, prorogandum moleſtiæ tempus. Ille recepit ſe ſcripturum hac de re, ego me expectaturum ad præſtitutum diem, quo animo eſſes. interea relicto præclaro hoſpite, pactus ſum cum familiari meo de uictu certo pretio in dies ſingulos; ut mihi integrum eſſet, ſi annuiſſes, proficiſci ad

uos. præterit dies de quo cum Ventidio conuenerat item unus, & alter. Tum mihi magna, & difficilis ad statuendum res proponitur. nam multis mensibus ante egregius ille, & hospes; & discipulus meus, primum sua sponte, ut est ingenio malo, dein de ab inimicus meis incitatus perfecerat, partim precibus, partim minis, denique etiã maledictis in meam uitam, ac mores meos, ne quisquam aut uellet, aut auderet recipere me tecto, ne dum opibus iu uare: atque hæc iccirco, ut cum omnia mihi obstructa essent, coniectum in angustias, quibus uellet conditionibus astringeret, extorqueretq; ab inuito, quod & præmijs, & beneuolentia eliciendum est. ac mihi discedenti nimis importune id quidem, & ualde insolenter, tamen ausus est uim denunciare, & adijcere illud, dum se ad ulciscendi tempus reseruaret, prouisurum, ut quæcunque mihi domus patuisset, excluderer ea. quid quæris? in eo metu biduum fui, ut quoties hisceret nouus hospes, dicturum putarem, migrandum mihi esse. Dum hæc aguntur, ecce narratur mihi familiaritas uetusta, ac magna, quæ tibi, & Theupolo genero est cum Tito Mæuio, & P. Druso perénibus inimicis meis, uel potius inuidis, qui quia exorientis meæ laudis

ſplendorem ferre non poſſunt, cum obſcurare, adhibitisq́; omnibus machinis ocium meum oppugnare conantur. horum ego inuidiam facile, opinor, uirtute ſuperabo. tamen ueritus ſum ne impedimento eſſent ad copulandas uoluntates noſtras. itaque ſpẽ omnem abduxi à te, cui non modo non probatus, ſed nec cognitus adhuc ſum. in tanta perturbatione rerum tantisq́; tenebris, nactus ſum caſu adoleſcentẽ nobilem, & percupidum mei Andreã Paſcalicũ, qui etſi Mæuios ciues ſuos magni faceret, & P. Druſo philoſophiæ laudem non adimeret, ingenuarum tamen artium ſpem ſuam præferret alienæ cupiditati. Lux quædam mihi oblata eſſe uiſa eſt: itaque cum omnia & benigna, & copioſa oſtendiſſet, nullam moram interponendam putaui, quin me ad eum conferrem. Non defuerunt facti ab obtrectatoribus teſtes, qui iniquius de me loquerentur: ijs egregius adoleſcens aureis quidem dedit, ſed uicit & fides & optimarum artium ſtudium. ergo ut pridem errore, ſic modo neceſſitate ſum prohibitus, ne tibi, cum cuperem ipſe, obſequerer. habes factorum meorum conſilium. Nunc quod reliquum eſt, poſtulo te mihi æquum præbeas: & quoniam amicitia tua ampla mihi ſemper uiſa eſt, te

rogo, atque obsecro, patiare, si minus, ut in eam me penitus insinuem, tamen inniti in ipsa, & acquiescere possim. De me autem sic habeas, eximia in te pietate futurum, liberis uero tuis singularem memoriam, beneuolentiamq; praestiturum. quos etiã crebris literis ad scribendũ, & excolẽdã utriusque orationis facultatem excitabo, si sensero gratum tibi ea in re officium meum. Vale. Patauij, ad X. cal. Decemb.

P. Danesius Ia. Colino S. P. D.

TERTIVS hic iam fere agitur annus, cum ego omni qua potui contentione abs te petij, ut ad eam incredibilem uisendae Italiae cupiditatem, qua tum flagrare uerius quàm teneri mihi uidebar, tuã tu quoque uoluntatem accommodares. existimabam enim id quod res erat, si illud impetrauissem, me Regis etiam uoluntate, quae non fere solita esset à tua discrepare, suscipere eam peregrinationem posse. Ac tu quidem, qui mihi à primo mirifice aduersatus esses, credo quia id nascenti tum pene gymnasio regio damnosum fore arbitrareris, tamen perlecta mea quadam ad te scripta epistola, cum, quanto pere-

pere id uellem, cognouisses, ita te facilem, atque æquum præbuisti, ut confirmares, si tibi non esset indecorum quam causam paulo ante, non tu quidē oppugnauisses, sed certe non probauisses, ei patronum repente existere, libenter id pro me esse factu-rum: sed tibi scilicet, posteaquam ita cœpisses, seruiendum esse constantiæ: mihiq; omnino uidendū, ne id à te petere perseuerarem, quod tuæ dignitati labem aliquam aspersurum uideretur. Nimirum *tā ta uis in me cupiditatis esse tibi tum uisa est, quæ se illis literis plane ostenderat, ut, quod nullæ neque meæ, neque eorū, quos ad te sane multos allega uerā, honestissimorum hominū preces auferre potue runt, id sola impetraret epistola, ut te, qui flecti an tea nequisses, totum iam nobis remitteres, ac si non suffragaturum, (id enim ne posses, iustissima causa impediri) certe nō aduersaturum pollicereris. quod quidem procul dubio ita est à te, ut promiseras, factum. sed uidelicet uicta semel apud* Regem *te agente causa nostra, obtineri ne tum quidem, cum tu contra agere destitisti, potuit. itaque fregi me ip se, &, qua potui ratione, à summo dolore, quem e a re ceperam, ad æquitatem animum reuocaui, sed ita tamen, ut semper in eo resideret eadem illa*

 uoluntas,

uoluntas, cum primum possem Italiam adeundi, et quasi ex eo cœlo, ubi Cicero parens, & auctor eloquentiæ spirauisset animam ducendi. Hæc omnis anteacti temporis recordatio quò pertineat, etiam antequam id dicã, intelligere te spero. Neque enim tu nescis Georgium Seluam meum, posteaquam à te discessi, patronum, Venetijs in illa grauissimi senatus luce legationis amplissimo munere nunc fungi, cum illi ad eam rem tua & multa, & præclara testimonia, quæ tu eius uirtuti apud Principem ueríssime tribuisti, adiumento fuerint. Ab illo igitur cum semper alias ægerrime pati soleo me disiungi, tum hoc tempore abesse, cum est ibi, ubi uel sine eo non illibenter esse possim, plane mihi ferendum nõ uidetur. et certe non mediocriter iudico ad rationes meas pertinere, me aliquãdo tãdẽ domo exire, in Italiam præsertim, ubi tam multi sint doctissimi homines, tanta librorum omnis generis, græcorumq; in primis copia, tot denique, ac tam illustria antiquitatis uestigia, ut nullo pene in loco possis pedem ponere, ubi non in aliquod incurras uetustatis monumentum. Eò etiam accedit, quod ego Venetijs otium nactus, quod hic quidem propter docendi occupationes perexiguum mihi est, ea potero literis

mandare,

mandare, quæ & tibi, in cuius nomine apparebũt, iucunditatem, & studiosis philosophiæ nonnulli fortasse utilitatem, & mihi denique ipsi aliquem laboris, & industriæ fructum allatura esse non desperem. Hæc nanque una in re totum illud tempus, quo ero Venetijs, neque id quidem plus erit annuũ, ponere constitui: quo illis satisfiat, qui me crebro inertiæ insimulant, ijsq; probem, si quo modo id assequi possim, me non omnino sine fructu tot annos, quot pene natus sim, in literarum studijs esse uersatum. Huic tu rei Coline per immortalem Deum auctor, adiutorq; sis. fueris autem, tantum si ostenderis principi te consilium nostrum non improbare. Hæc uero à te postulo, ut illum, nisi is ultro sententiam tuam exquisierit, de ea re appelles. Id enim iam ante menses aliquot, tum cum Inde abesses, à Theocreno est factum, cuius ad Budæum literarum exemplum una cum his ad te misi, quibus literis princeps Budæo mandabat, uti de eo, qui mihi, dũ abessem, sufficeretur, ex re ac commodo studiosorum statueret. Neque hic porro in danda uenia difficilem se princeps præbuit, sed ultro etiam consilium, & propositum nostrum amplissimis uerbis collaudauit. tantum excepit, ut ego missionem hanc, non
 commeatum

commeatum interpretarer : & simul uti Budæus, cuius arbitrio rem permittebat, existimaret, an is, quem ipse muneri meo fungendo uicarium relinquerem, idoneus, cui res committi posset, uideretur. Quæ cum ita se habeant, cumq; hoc quod tanto tempore, & tam ardenter concupierim, ab ipso rege mihi constet esse permissum; tu unus Coline reliquus esse uideris, cuius de uoluntate laborare, & sollicitus esse debeam. Certum est enim, idq; adhuc ex quo me tibi totum addixi, obseruauisse uideor, nihil aggredi unquam, nō modo quod nolle, sed nec quod non ualde etiam probare te cognouero. Qua autem ratione hoc assequar, te ut ad partes meas adiungam? nempe una, si ex eodem tempore, cuius antea feci mentionem, quædam attulero, quæ mihi benignissime tum, & amantissime promisisti. Non enim is es profecto, qui, quæ semel pollicitus fueris te facturum, ea possis, cum dies promissorum uenerit, non præstare. Amabo igitur recordare, cum multa alia, quæ mihi, cū desperata re tristis, ac mœrens ad te adijssem, perhumaniter cōsolandi mei causa commemorasti, tum illud in primis, cuius si forte oblitus es, memoriam tibi nunc remouabo: fore aliquando, neque id quidem ita multo post, ut Georgius

gius Selui, cuius tum desiderio non minus quàm Italiæ me moueri scires, aut Romam ad Pontificem, aut Venetias legatus mitteretur: quo tempore daturum te operam, uel perfecturum potius, ut mihi quoque proficiscendi eodem potestas fieret. Crede mihi, uno illo uerbo, ne plane animo conciderem, steti. tantum enim in summa mea desperatione adipiscẽdi eius, quod unum tum uolebam, pusillum id spei, quod tu mihi tua oratione asperseras, apud me ad minuendum dolorem ualuit, ut reliquo omni postea consecuto tempore æquo animo essem, nec magnopere iam quererer tam opportunam, quàm illa tum uisa erat, Italiam adeundi occasionem mihi ereptam esse. en igitur hoc iam illud Coline tempus est, quod tu mihi pro tua summa, ac prope diuina prudentia futurum tanto ante prædixeras, in quo posses de me, ita ut maxime optarem, mereri. Quare æqum est patiaris iisdem te uerbis compellari nunc a me, quibus est Terentianus ille amore, ac desiderio perditus adolescens usus, in suo tam, ut ipsi tum uidebatur, necessario tempore. Fac sis nunc promissa appareant. Quem locum, ut te promissi admoneam, non urgebo equidem diutius; ne, quod sine scelere haud possem, tuæ uidear constantiæ gra

uitatiq; diffidere. tantum autem te cogabo, quod ego scilicet in tuis plurimis, ac maximis erga me beneficij, primum ponam, ut ad meam infinitam cupiditatem, cum ea præsertim reprehendenda non sit, tuam etiam uoluntatem accommodes, mihiq; ignoscas, qui, ut animo obsequerer in hanc nouam spem erecto, & tanquam imminenti, nec ueritus sim tibi fieri molestior, nec satis tuarum occupationum, quæ & multæ, & grauissimæ sunt, rationẽ habuerim. Quod cum facies, non nouum aliquod, sed sæpe alias a te usurpatum, teq; certe dignissimum officiũ facies. Vale. V. cal. Aprilis, 1534.

Iouita Rapicius magistratibus ciuibusq; Brixianis S. D.

VETVSTISSIMA & præclara urbs uestra tum inexpugnabili isto mœnium ambitu, & publicorum ac priuatorum ædificiorum magnificẽtia, ac mira circumiacentis agri hubertate, tum multo magis ipso loci situ & cœli tẽperie, &, quod omnium longe maximum est, ciuium humanitate ac uirtute nulli non admirabilis uideri merito debet, mihi uero etiam amabilis, & perpetua quadam ueneratione

ueneratione digna uideatur, necesse est: tum quod maiores mei, tenues quidem, sed innocentes uiri, annos iam ab hinc ducentos & amplius in agro uestro suarum sibi fortunarum sedem delegere: tum quod ipse quoque istic natus sum, & bonis artibus institutus. Itaque etsi per omne tempus, quo iam inde ab extrema adolescentia patrio solo absui, nullas peregrinationis sordes, nullam obscuritatem passus sum, benigna quadam hominum de me opinione semper honestatus, & publica ab honestissimis ciuitatibus mercede conductus, à Vicetinis etiam, cum nihil tale peterem, aut expectarem, ciuitate donatus, ac non ita multo post ab Illustrissimo decemuirali consilio Venetias accitus; urbis tamen uestræ mihi desiderium adeo non excidit, ut in dies atque horas magis magisq; crescat. nam ut olim iuuenis amœnitatem locorum, & agri hubertatem admirabar: ita nunc in senium uergens, uel potius iam plane senex, urbem ipsam mirabiliter expeto, & ab ea tanquam à carissima parente in gremium, in quo & dum uiuam, & post obitum perpetuo conquiescam, recipi desidero. peto igitur à uobis summi uiri, ut me in ciuitatem uestram, si nulla alia re, studio tamen erga uos incredibili dignissimum

gnissimum asciscatis. quo ego beneficio atque honore si afficiar, uel potius affectus cum ero: non enim dubito quin meæ cupiditati uestra benegnitas respondeat: præstabo patriæ, quod debeo, pietatem sempiternã; uos autem ea, quæ uitæ annos æquet, obseruantia ita colam, ut nullum à me grati ciuis officium, nullum plane studium prætermittatur. Valete. IIII nonas Maias, M.D.XXXVIII. Venetijs.

Iouita Rapicius Ioanni Baptistæ Rhamnusio S. D.

AMO *animum, & curam tuam, quòd filium optimæ spei unice diligas, quòd illius educationem tam sancte procures. quòd uero me potissimum delegeris, cui illum instituendum commendares; etiã gratias ago. magnum enim, ut ille ait, hoc ego duco, quòd placui tibi, qui turpi secernis honestum. atque adeò male peream, nisi uel hoc uno nomine etiam mihi placere iam possum.* Paulum *uero tuũ, cum per meam & illius ualetudinem licuerit, ita tractabo, ut, non præceptorem modo, sed custodem etiam rectoremq; illi me fuisse, plane intelligas. nihil sane ex me audiet, nisi profuturum: nihil di-*

scet,

scet, quod nescisse præsset. admonebo illum sæpe, quibus patris & maiorum uirtutibus tanquam onere grauissimo urgeatur; quanto illi labore opus sit, ut patri similis adolescat; quanta diligentia, ne à maioribus degenerasse uideatur. adnitar denique, ne præclara ista spes tua te fallat. te autem non tantũ, ut iubes, redamabo, sed obseruabo etiam, ac uerebor. Viue, ualeq;. Brixia, VIII. cal. Sept. M.D.XLIIII.

Iouita Rapicius magistratibus ciuibusq; Brixianis S.D.

TANTO *me ordinum omnium consensu, quod à uobis absens proxime petiueram, uestra ciuitate donastis, ut nihil aut humanius, aut amantius fieri potuisse uideatur. quod ego factum uestrum nisi læto & grato animo excipiam, & uoluptatis sensu prorsus carere, & omnium plane ingratissimus esse merito existimarer. siue enim rem ipsam, siue animum uestrum considero; tantum me uobis debere facile intelligo, quantum persoluere nullo pacto possum. id enim munus dedistis, quod uel immortale, uel certe diu mansurum putastis, quodq;*

ante oculos semper positum omnem ingratæ obliuionis ignauiam discutiat. extat enim, atque eminet, & hæret animo beneficij uestri magnitudo, nec mecum modo, sed cum posteris etiam meis uiuet. mihi enim præstitistis, ut post diuturnam peregrinationem multo iam lætiore animo ad uos tandem non hospes, sed ciuis reuerti queam. illis autem uiã aperuistis, qua facilius per honestas artes in claram lucem prodire audeant. quod genus beneficij etsi in alios quoque plurimos contulistis: mihi tamen multis modis maius, quod in me collatum est, uidetur. nam cum nec à maioribus meis fortiter adita pro uobis pericula ostentare, nec census magnitudine & publicorum munerum participatione ciuitatem leuare possem; uos pro ijs omnibus, quibus alij fauorem promerentur, innocentiam meam, & mediocrem in bonorum literarum studijs doctrinam, atque industriam ita amplexi estis, ut nec professionis meæ immunitas, nec peculij tenuitas, nec Clarensium iniqua obtrectatio & pertinax contentio uos deterrere potuerit, quo minus, quod me uehementer optare intelligebatis, libenter concederetis. Quale uero quantumq; illud existimari oportet, quòd totum hoc negotium ita temperastis, ut nec

gratæ

gratæ mora longior quidquam demeret, nec consilij maturitatem celeritas impediret: atque, ut mihi uidetur, illud quæsiuistis, ut non beneficium solum, sed iudicij etiam uestri honorem præstaretis. quorũ alterum si optandum sit, iudicium equidem malim, quàm beneficium. nam, ut in quam uellem cisalpinæ Galliæ aut Venetiæ ciuitatem adsciscerer, non magno, opinor, negotio impetrassem: talium autẽ uirorum, quales uos estis, indicia assequi difficillime potuissem. quamobrem id longe gratissimum mihi sit necesse est, in quo ita beneuolentiæ uestræ liberalitas elucet, ut iudicij quoque æquitas adhibita fuisse intelligatur. qua in re quia neque referre, neque agere, quas debeo, gratias possum, habeo saltem; et, ne uos aut iudicij de me uestri pudeat, aut collati beneficij unquam pigeat, operam dabo. Valete. Venetijs, M. D. XXXVIII. V. cal. Iun.

Iouita Rapicius Paulo Rhamnusio S. D.

GRATAM mihi ac iucundam aui tui memoriam literis tuis Paule renouasti. amaui hominem multis magnisq; de causis. fuit enim prudens iurisconsultus

riſconſultus; iudex integer, bonus plane uir, atque officij plenus, ideoq; carus omnibus, ſed Venetis principibus longe acceptiſſimus. quibus & in iure dicundo, et magnis præterea in rebus maximo uſui fuit. uerum ego illud in eo maxime mirabar, quòd grauitatem perſonæ, quam ſuſtinebat, tanta ingenij ſuauitate temperabat, ut dubium omnibus reliqueret, maior' ne in illo grauitas eſſet, an comitas. ſcribebat uerſus ingenioſe, et plurimos quidem, ac pene omnes ex tempore, ubi grauiora negocia uacuum curis animum reliquerant: et, quod alijs labor ac ſtudium eſſe conſueuit, hoc illi luſus fuit, & iucunda animi remiſſio. is nullas delicias humanioribus literis anteponebat: & homines noſtri ordinis ac loci mire diligebat. me certe ita complectebatur, ut nihil eſſet, quod de illius mihi beneuolentia polliceri non auderem. uerum, ut defuncti quoque memoriam poſt tot annos uenerer, illud uel in primis me impellit, quòd patrem tuum, unum omnium hominum animo meo longe cariſſimum, genuit. itaque non poſſum non laudare tuam iſtam in ſeruandis tam rari atque excellentis aui monumentis pietatem, & diligentiam. rem laude dignam, & mihi ſane admodum gratam facis, quòd lucu-

brationes illius perire non pateris, sed summa diligentia collectas, ad liberos ac nepotes & posteros tuos peruenire desideras. quamobrem, quidquid istud est oneris, quod imponis, libenter suscipio; et, si quid uacui tẽporis nancisci potuero, totum istud uolumen, collatis, ut optas, archetypis diligenter perlegam, &, quantum licuerit, emendare tentabo. quod autem huius beneficij memorem te fore & gratum polliceris: nihil est, quod hoc nomine sollicitus sis. in promptu tibi est, unde mihi facillime possis satisfacere. nullam enim aliam gratiæ relationem abs te uel peto, uel expecto, quàm ut assiduo studio illi te similem præstare contendas; &, cuius nomen refers, eiusdem sis uirtutibus insignis. Vale, & in aui ac patris tui uitam, quasi in speculum, oculos mentis diligenter intende. Venetijs, cal. Augusti, M. D. XLVII.

Iouita Rapicius Hieronymo Montio S. D.

NISI, *uiri optimi, patris tui obitu uehementer doleam, me nec hominem arbitrer. quanquam enim aliquanto serius, quàm decuerat, id accepi; nihilo secius tamen sum perturbatus. diligebam*

enim ex animo illum absentem absens: nec amicitiam, iustissimis de causis cum eo semel initam, aut studiorum dissimilitudo, aut locorum interualla diuellere unquam potuerunt. ita hærebant, et adhuc hærent animo multæ illius, magnæq; uirtutes; quæ hominem reip. utilem, omnibus, qui uel leuiter norant, amabilem, mihi uero etiam dignum rara quadam ueneratione reddebant. gratulabar illi tacitus, quòd senex in optimorum liberorum amore conquiesceret: & uiuere illum diutissime optabam, atque eos ex tua ista excellenti uirtute ac dignitate fructus capere, quos illius in te honestis artibus instituendo diligens cura postulabat. Verum, quando necessitati ne dij quidem possunt obsistere, me ipsum, si non plane consolor, certe colligo &, quæcunque accidunt, ferenda censeo. quod te quoque, quæ tua prudentia est, et animi uigor, facere certo scio; neque hac in re ullius consilio indigere. ideoq; nihil eorum dicam, quæ in huiusmodi casu dici consueuere: sed ambobus potius gratulabor; illi, quòd non prius è uita excessit, quàm te eximia ista doctrina excellentem, & multis alijs bene constituti animi dotibus florentem, non principibus modo uiris placere, sed uniuersæ ciuitati; quod maxime optauerat

uerat, esse carissimum perspexit. tibi uero, quòd diuino quodam dono datum sit patris prudentissimi consilijs ineuntis pueritiæ inscitiam regere, & lubricum illud adolescentiæ tempus stabilire, & bonam iuuentæ partem ita ducere, ut iam non patriæ modo, sed uniuerso hominum generi prodesse possis. itaque arbitror illum, si quis eorum, quæ hic fiunt, mortuis sensus est, gaudere, quòd in te filio multo iam uiuat illustrius, quàm in se ipso unquam uixerit. sed hæc tu pro tua eruditione, ac prudentia multo melius. ego, quod te scire uelle desidero, uiuo adhuc, & ualeo; si modo senes ualere possunt. addo illud, me adhuc amicis carum esse, & operam meam illustriss. huic ciuitati non esse ingratam. Paulus noster non sine integritate, & iuris prudentiæ fama apud Maternenses, qui Benacũ accolunt, ius dicit, & te unice diligit. Vale. Venetijs, cal. Sept. M. D. XLVIII.

Stanislaus Orichouius Ruthenus Paulo Rhamnusio S. D.

NON puto id sine numine diuum euenisse, Paule Rhamnusi, ut ego, qui præceptis, institutisq;

Italiæ ineuntem ætatem meam transmiserim, uobis nunc studia mea probem, qui in Italia doctrina antecellitis: ut, si quid dignum uestra cogitatione ac approbatione in nostris studijs uideatur esse, id uos ametis, expetatis, et, quasi debitum uobis à me munus, flagitetis. utinam uero id ego ingenio possem assequi, ut uos, communis orbis terræ magistros, huius quoque discipuli non pœniteret. efficerem profecto, ut hoc ipsum, quod iam diu probauistis, cumulatum reponerem; et, quod à me expectatis, omni mea opera uobis aliquando emetirer. quod cum nondum posse uidear; quantum potero contendam, ne hanc spem de me uestram, tuam autem in primis, fallam: qui in me suauissime effusus, tantum amori indulsisti tuo, ut non solum Thomæ Iuntæ, uiri præclari, opera nos eruditis hominibus Italis commendaueris; uerum etiam literis tuis me, ignotum hominem, ac toto cœlo abs te disiunctum, ultro humanissime expetiueris. quod mihi ipsius felicitatis instar est. quid enim in hac nostra mortali uita optandum magis est, quàm aliquo loco, ac numero à uobis Italis censeri, quorum de rebus ipsis grauissimum semper iudicium fuit? itaque tuas literas legens, uidere uidebar diuino animi tui motu

tu admoneri me, ut, non tam ubi natus, quàm à quibus sim institutus, memor essem: ut uidelicet uestris praeceptis, atque disciplinis fretus, non putarem mihi aliquid obstare, ad speratam gloriam, rudem patriam, ac barbaram, quae Martem semper, Mineruam autem nuper coepit colere. fuit enim Russia Scythiae antea, cui finitima est, non multum sane genere, ac moribus dissimilis: quae tamen ipsa consuetudine Graecorum hominũ, quorum sectam, religionemq́; sequitur, inhumanitatem illam feritatemq́; Scythicam deposuit. mitis enim iam est, mansueta, ac benigna: literis etiam uestris latinis, atque graecis plurimum delectatur. quorum beneficio est assecuta, ut apud finitimos Scythas nihil iam uehementer probet praeter Toxarim, & Anacharsim illum ueterem. horum enim exemplis admonita, multos existimationis bonae cupidos adolescentes istuc ad uos Patauium in Italiam quotannis mittit. quorum sunt apud uos ciues, ac necessarij mei, Stanislaus Vapouius, & Stanislaus Drohoiouius, adolescentes nobiles, ac summa spe, atque expectatione praediti. quos tibi notissimos esse uel ob id cupio, ut ex horum duorum moribus & ingenio de tota gente nostra coniecturam facias. qui, quòd

Russia prouincia Polonorum ditionis sit, uno quoque nomine cum reliquis Polonis Patauij nunc censentur. Sed iam ad me redeo. Velim existimes me tuis literis confirmatum esse uehementer in ea studiorum ratione, quæ tu, in ista principe Venetiarum urbe, commendatione tua ornasti, Thomæ uero Iuntæ, optimi uiri, prælis illustrasti, ac publice legenda omnibus præbuisti. quare nihil mihi ad conatum deesse patiar, ut tibi operam meam probem fideliter. cuius iudicio quantum sit tribuendum, cum ex tua ad me epistola, tum uero ex his eclogis, quibus Petri Bembi Cardinalis defles mortem, sciri potest. in quo tamen ipso admiratus sum modestiam tuam, Italo homine dignam. quum enim luctũ illũ carmine ita exquisito prosequaris, ut nescias, carmen ne tuum an mors Bembi maiorem dolorem legentibus faciat: in summa tamen tua laude nullum tuum nomen ponis. ita tuum illud excellẽs ingenium, Italica modestia temperatum, laudem fugiens, ueram gloriam apud nos est consecutum. Dabis tamen hanc mihi ueniam, si ego correxero modestiam hanc tuam; idemq; in tuo Bembo fecero, quod tu in Sigismundo meo cumulate fecisti. nam eclogas tuas Cracouiam ad impressores misi, cum

præfatione

*præfatione ac mentione nominis tui honorifica. neque enim tam præposteram (ignosce, quæso) modestiam ferre potui, qua tu te iusta ac debita laude tua priuasti. idem uisum est ijs quoque, quibuscum eclogas tuas communicaui. nam cum eclogæ ipsæ, tum uero humanitas hæc tua, quam summam esse multis argumentis perspicio, digna cognitione nostrorum quoque mihi uisa est. Caue autem putes literas ipsas, tam græcas quàm latinas, maiori auctoritate, ac gratia usquam esse, quàm sunt in Polonia; quæ ipsius Sarmatiæ caput est, ac regina. quare, nostris ego te hominibus quamnotissimum esse cum cupiam, nolo te priuare debita laude tua: neque committam, ut carmen tuum, uenustum, ac lepidum, circumferatur in Polonia incerti auctoris nomine: cum auctor ipse præsto adsit certissimus, idemq; locupletissimus. id ergo mihi curæ erit. tum etiam abs te peto, ut, si quid postea edes, ad nos quoque mittas. mittes autem commode, si Cracouiæ in manum dari iusseris * is ad me Premisliam, quod oppidum Russiæ est non ignobile, perferri curabit, si quid miseris. qui si quo casu Cracouia abfuerit; ut eius fratri detur, iubebis. Quod autem à me petis, ut tibi aliquid mittam denuo:*

 etsi

etsi ego nihil habeam, quod dignum sit oculis, ac auribus tuis eruditis; tamen, ne quid tibi à me negetur, misi nuper Patauiũ Stanislao Drohoiouio, cuius supra mentionem feci, nonnullas orationes meas, unam de lege cælibatus contra Siricium Romanum, alteram uero de bello Turcis inferendo, tum etiam Diatribam: ex qua disces omnem uitæ meæ statum. hæc opuscula ut tibi reddãtur quamprimũ, egi per literas cum Stanislao Drohoiouio diligenter. uelim uero has orationes euestigio ipso tibi reddi. quidquid enim habui de rebus ipsis aut iudicij, aut facultatis, id totum in illas contuli: in quibus quantũ profecerim, nullius iudicio certius id examinabo, quàm tuo. Quod reliquum est, abs te peto, ut, quoniam me dignum beneuolentia tua esse semel iudicasti, hanc eandem mentem retineas: tibiq; persuadeas, me curaturum diligenter, ut id nonnullo etiã merito nostro facere uideare. Bene uale. Thomam Iuntam, humanissimum uirum, atque optimum, saluere iubebis meis uerbis plurimum; meq; illi cõmendabis diligenter: eiq; has literas reddes: quibus illi pro nauata opera gratias egi. gratum, & memorem huius uestri diuini in me beneficij ut me esse tu, & ille indicetis, curabo sedulo. iterum bene

uale. Datæ Premisliæ, oppido Russiæ, die assumptionis beatæ uirginis, anno Christi, dei nostri, M. D. XLIX.

Reginaldus Polus Cardinalis Paulo Rhamusio S. D.

CVM Iouitæ Rapicij librorum proœmium libẽter legi, tũ me epistola tua delectauit, quam mihi una cum eo proœmio misisti; non tam quidem, quia pure & eleganter scripta est, quanquam ob eam quoque causam delectauit, quàm quòd gratum animum, & pietatem, qua doctorem tuum et uiuũ prosecutus es, & mortuum adhuc prosequeris, facile declarat. quo te non modo ex Rulli, familiaris mei, testimonio, sed ex ipsis etiam literis tuis dignum esse intelligo, qui à me, atque omnibus diligare. Quod uero ad Iouitam attinet, quem ex illo proœmio tam honorifice de me sensisse uideo: ut laudes eas, quas mihi tribuit, minime possum agnoscere; ita hæc amoris eius erga me significatio grata sane, ut debuit, mihi, & iucunda fuit. cui quod uiuo studij ac beneuolentiæ debui, neque mortuo iam præstare possum; id in ipsius liberos, atque in

te, qui ab eo institutus es, & in filij loco habitus, libentissime conferam. Vale, &, honestissimum uirum, patrem tuũ meis uerbis saluta. Bruxellis, V. cal. Iunij, M.D.LIIII.

Petrus Bunellus Iosepho Magetano S.D.

ITA esse ut tu scribis, prorsus mihi persuades suauissime Iosephe, me de Reuerẽ. Episcopi immutatã uolũtate temere suspicatũ. Tibi sane in hac parte maiorem quàm mihi ipsi fidem habere uolo: neque enim, nisi ita res haberet, tu, quem mei amãtissimũ esse cognoui, tam ualde affirmares, & ego uirum nobiliss. ac inter suos facile principem, semper de studijs meis non male existimasse mihi persuaderi cupio. quibus tamẽ rebus, ut plane à me abalienatũ existimarem, adductus fuerim, quanquam in ea epistola, quam ad Cornelium scripsi, satis aperui, tibi tamen familiarius exponam. Audieram Patauij esse qui Iulio Camillo partim obscure inuiderent, partim aperte eius existimationem oppugnare non desisterent. quorum institutum equidem laudare non poteram, quòd homini, ut ego sentio, optimo, ac eloquentissimo, qui nihil de eorum lau-

de,

de, aut quæstu detrahere uellet, nulla præsertim ab eo iniuria lacessiti, nocere cogitarent. Nam, ut largiar illis, quo maxime nituntur, artificium istud, nunc primum ab eo excogitatum, & inuentum, omnem fidem excedere, fauere tamen pulcherrimis conatibus, non obsistere debuerunt. Gallorum fortasse partes istæ fuerint, ei, qui per fraudem, ut quidem isti putant, aliquid à Rege auferre uelit, aditus omneis præcludere: ab Italis quidem certe homo Italus in re tam honesta adiuuandus fuit. sed hoc ipsi uiderint. redeo ad id quod cœperam. Intellexeram Iulium Camillum flagrare inuidia: cuius commendationem, ut apud Cornelium gratiosam, sic apud nonnullos inuidiosam fore, ubi primum res agi cœpta est, prædixi. hanc meam prædictionem non nonnulla, quæ ab episcopo in eo congressu, unde nata est suspicio, dicta sunt, uehementer sane confirmarunt, uultus tristis, oratio seuera, incerta quidem signa, signa tamen animi non satis beneuoli. quid illa? cum ego dicerem me daturum operam, ut expectationem, quam de me Iullius Camillus excitasset, aliqua ex parte sustinere possem: respondit, commoto, ut mihi uisus est, animo, incredibile quiddam sibi uideri. quis has uoces maleuolo-

rum

rum esse non crederet? præsertim cui nota essent, quæ Iulius Camillus de me scripsisset? ad extremũ adiecit, se, genus scriptorum meorum quale esset, ignorare: redirem quo die uellem, unam de meis epistolis afferrem: sibi quoniam aliquò proficiscendum esset, pluribus mecum agere non posse. respondi, me omnia, quæ uellet, esse facturum. ita discessimus. Non longe abieram, cum ego extrema ista cum superioribus contexens, rem totam attentius cœpi perpendere. ne multa, hanc feci summam cogitationum mearum: eos, qui Iulium Camillum odissent, mihi quoque inuidisse: ex illo fonte procul dubio fluere uoces illas: me uix præstare posse, ut is essem, quem Iulius Camillus fore recepisset: eodem illa de meis epistolis pertinere: quòd tanti uiri testimonium, quod ille multo amplius, quàm uolebam, dederat, in dubium uocaretur, id quorundam minime amicorum artibus effectum esse: neque uero tam accurate quicquam me unquam scripturum, quod animos istorum ipsa maleuolentia ieiunos satiare posset: mihi iam non cum Cornelio, sed cum Iulij Camilli æmulis rem esse: cum illis, si Patauium irem, suscipiendam necessario dimicationem. itaque deliberationem conclusi: è re mea

nequaquam

nequaquam fore, si in has turbas coniicerer, à quibus & natura, & uitæ meæ ratio penitus abhorreret. ueni domum, non iam dubitans, quid mihi faciendum esset: ualde tamen iratus iis, qui & talem patronum, & tuam, & Bernardini consuetudinem mihi eripuissent. Incensus dolore ea ad Cornelium scripsi, quibus maleuolos accusans, quid facere decreuissem, non aspere, sed aperte, sine ulla circuitione explicabam. Hic tu me rogas, in quo amicitiæ nostræ iniuriam facis, ut me totum uobis remittam, & placabilem præbeam: quæ bono animo dicta sunt, ne durius accipiã. tu ergo alicui me iratum putas? uehementer erras mi Iosephe, si hoc de me tibi persuades. An ignorare me credis, quã ridiculum fuerit, me hominem transalpinum in Italia Italo uel ignobili irasci? ueni igitur, si prætentis nihil offensus es. amabo, mi Iosephe, sustine te parumper, et, ubi rem omnem audieris, consilio me iuua. ego simul ac mea uobis exclusum credidi, dixi oratori, de Patauina illa conditione quod sperabam mihi non successisse. In quem sermonem cum ingressi essemus, multa mecum ille humanissime, ut solet, disseruit. De discessu nihil certi se ante cõstituere posse quàm literas è Gallia accepisset: &

quoniam

quoniam à uoluntate Regis hæc penderent, fieri posse ut hic quartus annus quintum adduceret: se in utrãque partem æquissimo animo esse: optimum sibi uideri, si non prius me commouerem quàm de uoluntate regia certior fieret: siue enim manendum, nihil esse, quod laborarem: siue decedendum, tunc quoque satis maturum, ut meis rationibus prospicerem, fore. Dixi mihi uehementer consilium probari, & in utranque partem uideri tutissimum: itaque me eo usurum. in quo sine maxima leuitatis suspicione non perseuerare non possum: hoc loco non urgeo, ut mihi consilium des, & sententiam de his rebus exponas tuam. mihi certum est quiduis potius perpeti, quàm constantiam non retinere. Duo modo abs te peto: unum, ne me iracundia, aut arrogantia, sed iustissimis causis, quo minus ad uos hoc tempore ueniam, prohiberi putes: alterũ, Episcopo Cornelio ut istud ipsum persuadeas: cui quidem propter eam uoluntatem, quam erga me declarauit, tantum debere me existimo, quantum si me omni beneficiorum genere cumulasset. Bene Vale, et Bernardinum, si placet, meis uerbis plurimum saluere iube. Venetijs.

Petrus

Petrus Bunellus And. Cornelio Episc. Brixiensi S.

IVLIVS *Camillus, uir summa eruditione, & rara probitate, ita mecum discedens egerat, quasi de re mea amplius deliberandum non esset. Cuius ego promissis impulsus statim à discessu illius Pa-tauium sum profectus, tum ut fidem, quam is tibi de me dederat, liberarem, tũ ut, si uelles, eruditio-nis meæ, si modo ulla est, periculum facere posses. Itaque domum tuam ueni: cum Iosepho primum, deinde cum Bernardino, optimis sane uiris, sum col locutus: hoc responsum tuli, eo die te minus recte ualere, de medicorum sententia, ne quid ad mor-bum accede: et, a rerum grauiorum administratio-ne in totum abstinere decreuisse: neque uero dubi-tandum, quin tibi ratum, gratumq; esset, quicquid Iulius Camillus de mercede mecum tuo iussu con-fecisset. redirem modo Venetias, ab oratore, cuius uoluntatem semper excipiebam, de abitu impetra-rem: tibi quidem certe meum aduentum expecta-tissimum esse. ut illi te uelle confirmarunt, ita feci: & iam libros meos in nauem imponere cogitabam, cum te Venetias, quasi colligendi tui causa, uenisse*

de

de nõnullis audierã, Ne multa, nihil mihi prius faciundum putaui, quàm ut te primo quoque tempore quamhonorificentissime salutarem. Ex eo congressu cœpi suspicari, dicam aperte, ut mea fert natura, te maleuolorum quorundam obtrectationibus immutatum esse. ita enim mecum locutus es, quasi dubia, & incerta plane adhuc essent omnia. te scriptorum meorum nihil legisse: quàm longe per linguæ Græcæ studia processissem, nescire. uehementer sane admiratus sum hæc tum demum abs te dici, cum integra mihi non essent omnia, & cum iam in eum locum me demisissem, unde non facile exitum reperire possem. quod cum neque familia Corneliorum, neque prudentia, neque uero fide tua mihi dignum uideretur; totum hoc ab inuidis hominibus manasse, mehercule non dubitaui: facileq; intellexi, quam rem apud te mihi adiumentum allaturam sperarem, eam uel maxime contra me facere. commendatio non uulgaris Iulij Camilli, quæ me apud te in gratia ponere debuit, magnas inuidiæ procellas, quæ nullo negocio hominem Gallum in Italia obruere possent, excitauit. et quidem uir mei amantissimus nihil prætermisit, quod meis rationibus conducere existimaret. uerum ut nunc re ip-

sa experior, abundantia quadam amoris lapsus est, ea enim me inuito ac reclamante scripsit, quæ maximam, ut temporibus istis, ad conflandam inuidiam, multorumq; odia concitanda uim habent. Quod igitur mihi plurimum prodesse debuit, id quorundam iniquitate in perniciem meam conuersum est totum. illud tamen in hac mea infelicitate percommode cecidit, quòd priusquam penitus in familiam receptus essem tuam, cognoui tum ex uultu, tum ex sermone, me occulte, & per cuniculos à nescio quibus oppugnari. semel enim admissus in tuorum numerum, sine summo animi dolore eijci non potuissem. nunc autem excludi me tum facile patior, tum etiam gaudeo. quid enim miserius medici, aut fingi potuisset, si in domum quidem tuam essem ingressus, ex qua aut statim cum ignominia exeundũ, aut, si in ea permanere uellem, perpetuo animi dolore contabescendum esset? tanti, Deum obtestans iuro, apud me non sunt omnes omnium diuitiæ. equidem animi tranquillitatem mihi eripi nolo: quam ut retineam, cedam inuidiæ, cedam maleuolentiæ, neque de hac re posthac me tibi offerã. quanquam enim tibi homini doctissimo, & humaniss. satisfacere, nisi fallor, possum: Cornelio tamẽ,

idest

idest homini locupletissi tam multis literarum nomine aliquid expectantibus obsesso, satisfacere non possum. Hæc scripsi ad te summa libertate, ut ingenium meum, & studia nostra, a quibus omnis simulatio abesse debet, postulant, quæ si tu non aliter accipies, atque à me scripta sunt, meam hanc querelam ad alios quosdam; ad te nulla ex parte pertinere iudicabis; Ego cæteris in rebus meum officium, operam, diligentiam, obseruantiam ad te defero; tu, si placet, non eo minus, quod apud te nõ uiuam me tuũ esse existimabis. Equidem quecunq; tum sanctissimo religionis Antistite, tum benignissimo literarum patrono digna erunt semper de te, & sentiam, & prædicabo libenter. Venetijs.

Petrus Bunellus Carolo * S. D.

NISI Petrus à Monte aureo te ualde amaret, & nisi salus tua mihi curæ esset, nunquam aut ego illi id oneris imposuissem, aut ille tam duram tui admonendi prouinciam suscepisset. officium nostrũ ab optimo animo, tuiq; amantissimo profectum est. quod tu aliter si accipis, non facis ut te dignum est. nos quidem certe, ut pro utroque tibi pollicear, freti

freti conscientia, in quam partem accipias minus laboramus. Nam quod tibi Petrus noster durior uisus est, ita comparatum natura esse certo scio, ut qui grauissime ægrotant, facere medicinam uolétibus irascantur. sed rursus ijdem morbo depulso, recuperatáq; pristina ualetudine, se, quid ualeant, quòd uiuunt, illis ipsis, quibus antea succensebant, debere præseferunt, & prædicant. Quod te aliquando facturum non dubitamus. Nunc quidem si tibi acerbi sumus, illud uicissim tibi fac in mentem ueniat, nos longe maiorem ex hac tua morum intemperantia traxisse dolorem. te ne iuuenem Gallum, honesto inter tuos loco natum, literis tinctū, & nunc non optima inter Italos conditione uiuentem, addo etiam, quod caput est, christianum, meritricio amori deditum esse? Quid attinet tam multis de pietate christiana disputare? & ea, quæ à primis illis nostræ religionis antistitibus de bene uiuendi instituto tradita sunt, legere: nisi uita, & actionibus illorum præcepta coneris exprimere? Quod si tu dum Italis quodammodo seruis, inops a pecunia, ad has res turpes animum adijcis: cum te aliquādo in libertatem asserueris, in magna rerum abundantia quid te facturum credibile est? An re-

M licta

licta patria, tot periculis aditis in Italiam ueniendum tibi putasti, ut istis pulcherrimis uirtutibus ornatus, domum aliquando redires? Nisi forte flagitiosis istis illecebris delinitus adeo, & captus es, ut patriæ, & tuorum charitatem ex animo deleueris. Recordare quæso, quæ tibi Raynerius, adolescens sane ut nobilissimus, ita omnium quos ego in uita unquam uidi optimus, dixerit, cum domi nostræ in hortis deambularemus. Iam tum illi prudentissimo iuueni uitæ tuæ ratio suspecta erat: & tu quasi male tibi conscius hæsitantibus uerbis respondere uisus es. habeo alia multa minime dubia argumenta, & non nullorum firma testimonia, quibus sane uterer si necesse esse ducerem. sed neque te ego reum peragere in animum induxi, neque tu ea, quæ comperta sunt (ut puto) negare audebis, ne ad priorem culpam impudentiæ crimen adiunxisse uideare. tu quidem ut pulchre tibi consulueris, ita abunde nobis satisfeceris si, animum tuum in cogitationibus impudicis occupatum ad studia bona, & pietatem colendam totum traduces. hoc à te omnes tui expectant, hoc religio christiana, in quam tu non ut uulgus solet, sed præcipua quadam ratione ingressus es, hoc inquam à te requirit.

rit. Nos qui tibi bene cupimus, qui te honestissimũ esse uellemus, monemus, hortamur, obsecramus denique, ut fidelissimis amicorum consilijs pareas, & ne potius hanc ætatem teterrimis uitijs improborum exemplo prouocatus corrumpi patiare. Bene uale. Venetijs.

P. Bunellus Paulo Manutio S.D.

EGO mi Paule Patauij in præsentia ita libenter uiuo, ut præter tuam, & Rhamberti nostri suauissimam consuetudinem nihil admodum desiderẽ, simulq; interdum mihi succenseam, quod non relictis uestris paludibus, in quibus ocio, & desidia marcebam, citius huc aduolarim, ubi paucis hisce diebus plane totus recreatus, & in antiquum statum pene restitutus mihi uideor. itaque totam hyemem, nisi quis casus mea consilia perturbabit, cum libris meis hic iucundissime traducere deliberatum est. ineunte uere, si ita rationes nostræ postulare uidebuntur, aliud consilium capiemus. Interim quoniam ego domum tuam uentitare, & pomeridianas horas, quemadmodum Venetijs solebam, ambulando, & colloquendo consumere non licet, literis crebro mittendis hoc incommodum sarcire uolo,

ſi modo, ut mihi in noſtris ſermonibus quicquid in buccam uenerat impune effutire licebat, ita tu epiſtolas noſtra garrire, & interdum uel potius ſemper hallucinari æquo animo patiere. nam ſi tu me aliquid induſtriæ in ſcribendo ponere uoles, quod nihil niſi elaboratum, & tuorum ſcriptorum ſimile tibi legendum putes, prædico tibi, raras, aut etiam nullas a me poſthac literas accipies. Quare ſi officium hoc literarum uulgare quidem, ſed amicitia noſtra minime indignum non aſpernaris, noli plus, quàm aut ingenium meum, aut ſtudia patiantur, à me exigere. ſic igitur tecum agam ac ſi præſens eſſem. quicquid in mentē ueniet, in epiſtolam cōijciam: neque, quàm inter ſe cohæreant, mihi curæ erit. et quidem occurrit primum illud: me plurimū tibi debere: a te in me beneficia profecta innumerabilia, gratiam hoc tempore a me haberi poſſe, referri non poſſe. Quod ſi tū memoria ſola contentus es, nemo omnium qui uiuant me in ea præſtanda ſuperabit. Nolo pluribus tua merita erga me commemorare, ne aut ego blandus à te exiſtimer, aut amicitia noſtra, quæ per ſe firma eſt, huiuſmodi ineptijs egere uideatur. Tantum hæc attingere uolui, ne tu officia, quibus me obſtrinxiſti, ma

le

le posita aliquando existimare posses. verum de his hactenus. sequitur illud. Quod tu mihi discedenti in mandatis de Osio dederas, curaui diligenter. conueni hominem, sed is iam, ut mihi dixit, epistolas fa. ad Anianum miserat. hortatus sum ut nonnihil literarum ad te daret. negauit à se quicquam latine, & eleganter scribi posse. ut uideo nemo in hoc genere me uno est facilior, aut, ut uerius dicam, stultior. cæteri sua scripta premunt, à nemine legi patiuntur, quod lente, fastidioseq; ab eis elimatum est, rude, & impolitum sibi excidisse queruntur. neque uero hæc à me ideo dicuntur, quasi Osium in eo hominum genere ponam, quem ego et probum, & doctum esse cognoui. sed sunt alij ad quos magis hæc pertinent, quorum exemplo in hoc artificij genere ego quoque fortasse aliquando non nihil proficiam: tecum tamen, & cum amicis, ingenue, candide, simpliciter agam. habes epistolam, quæ ut diligentiæ parum, ita beneuolentiæ plurimum præ se ferat. ad quam tu, si uidebitur, & cum per ociũ licebit, rescribes. et si quid rerum nouarum habebis certiores nos facies. Vale. Honorato, & Magnulo tuo, uel si pateris nostro, ex me salutem plurimam dicito. Patauij. XIII. Cal. Dec. M.D.XXXIII.

qui, ut officium deserant, facile spe aut metu cogi posse uideantur. illud tamen persuasum habeas uelim, utcunque sors cadat, me tibi strenuam operam esse nauaturum. Apud omnes, de quibus scribis, te commendabo non leuiter, sed quantum ponderis sermoni opportuno addere potero. quod iam multo antehac feci, nec, si admonitus non essem, facere destitissem. in summa illud contendam, ut nulli unquam occasioni in te ornando uidear defuisse. Vale. Venetijs, IIII. cal. Maias, 1519.

Victor Faustus Ioanni Baptistæ Rhamnusio S. D.

LIBET *hoc mearum literarum initio, suauissime Rhamnusi, tecum ita præfari: Adsum atque aduenio Acheronte uix uia alta atque ardua, per speluncas saxis structas asperis, pendentibus, maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum, ut ait poeta. hæc enim, paucis immutatis, Veneto naulali conueniunt; ubi anno superiori, magno meo cum labore, talem sum denique uisus gloriam assequi, qualem, si priscis licet nostra componere, & Hercules olim ab inferis reportauit. siquidem ille, non tamen sine Theseo, Cerberum, ab orchi fauci-*

bus abstractum, cœlo atque huic luci ostendit, unus ego, nemine adiuuante, immo utinam non multis eorum, qui minime debuissent, contra nitentibus, tot ab inuitis, ut ita dicam, Cerberis ignorationem quandam cum malignitate coniunctam auulsi, ueramq; græci, hoc est antiqui remigij rationem, tot annos iam sepultam, quæ cum diu olim ubique gentium uiguisset, post Augusti monarchiam pacato mari, ac demum scythicis armis omnia uastantibus, una cum imperio Romano conciderat, amota barbarie, unum è ueteribus nauigijs maxime habile, quod quinis agitur remis, ædificando ita, ut uetusta illa mensura ad præsentem usum accommodaretur, mundo iterum & huic nostræ ætati, magno cum decore ac emolumento urbis huius, si sua bona nouerit, ostendi. nam quid, per deos immortales, in hominibus eruditis literæ disciplinæq; laudentur, si nihil ex ijs, quod patriæ, aut amicis prodesse possit, eruatur? quid autem aut inuentu difficilius, aut factu laboriosius à quoquam, nostra saltem ætate, editum est, quàm quod ipse nulla medius fidius alia de causa magis, quàm ut hanc doctrinarum professionem ornarem, doctorumq; hominum dignitatem augerem, nuper effeci? sed nescio quo fato fiat, ut

nihil usque adeo egregium, atque ab omni parte politum reperiatur, quin id multi usquequaque non probent; uelut in me nonnullos fuisse audio, æquos mehercule rerum æstimatores, qui interim, dum nauem ædifico, meæ, qualescunque sunt, literæ, tibi certe et uniuersæ ciuitati decennium iam & amplius cognitæ, ne picis credo forte maculam aliquam contraherent, uererentur. quasi uero aut in Alcæi carminibus, quæ dura nauis dura belli inter pericula scripta sunt, nauticum quippiam sit, quod ipsi possint agnoscere, aut in Xenophōtis, philosophiæ præsertim, libris quidquam, quod uel castrēsem fremitum, uel classicum etiam ipsum referre uideatur, ipsi forte animaduertant, quoniam eorum alter in mari pugnando, alter, ductando exercitu, in ultimo pene oriente maiorem ætatis suæ partem contriuerit. an fortasse, quia græce nesciunt, hoc est, ut puto, recte eruditi non sunt, in Tibullo, atque Catullo aliquid, quod militia ipsis detraxerit, oculatissimi homines uident, propterea quòd alter diu in Messallæ, alter in Pisonis cohorte fuerit? ignauiæ, mihi crede, potius est, quàm ullius sapientiæ, sese perpetuo in testudinem quampiam abdere, aut cancellis concludere, nec quicquam toto uitæ spatio,

maiorem sibi laudem acquisiuerit, quàm quantum infamiæ fidibus publicè canẽdo, quod munus alioqui libenter literati homines ad se trahunt, sibi uero princeps pepererit. Verum quid tibi ego Reges tantum architectos nominem? cũ Deum ipsum optimum maximum ea potissimum de causa suspiciamus, quòd machinæ huius tantæ, quæ mundus appellatur, olim artifex fuerit, ac, si usquã alibi per se huiusmodi architecturæ professio possit antiquam illã retinere dignitatem, profecto hac in urbe, quæ medijs in undis posita, maris imperium sibi iam tot annos uendicare contendit, magno in honore habeatur, necesse est. nisi quis forte usque adeò uecors sit, ut, dum ipsam uituperet, se præcipuũ simul patriæ suæ studium damnare non uideat. At, inquit ille nescio quis, sit quantum libet nobilis tua ista industria; te distrahit tamen, totumq; literis uacare non sinit. quid rogo istuc ad te pertinet? num tua res agitur, si ego propterea uel poema nullum componam; uel meorum temporum historiam non scribam; uel aliud nihil literarum monumentis, quod mei nominis posteritati consulat, tradam? quid autem, quòd & hæc simul fortasse facio? atque, ut non faciam, satis certe literati uiri fungor officio, si tantum quo

tidie literis impendo, quantum ijs, qui graece multa nesciunt, atque adhuc indigẽt praeceptore, satis faciat. quid igitur modũ alienae ponis industriae? memini equidem superioribus annis, quod te quoque memoria tenere certo scio; me diu nihil, nisi quod eloquentiam aleret, fuisse meditatum; saepiusq; frequẽtissimae concionis tanto plausu orasse, quanto uix alius. at cum ad rauim usque desudassem, ne obolo quidem benignitate cuiusquam auctior factus sum, sed nihilo secius, quàm pridie, olusculum fuit in coena. qui, malum, ergo inuidiosum usque adeo sit, si, iam uergẽs in senium, maiorem mihi pecuniam mea non nisi honestissima industria parare decreuerim? Caeterum, ut mei semper instituti fuit, parum quid pessimus quisque de me sentiret curare; iam missa haec faciam: quid tibi cum quartana, nimium tua familiari, negocij sit, quo studiorum, quóue rusticae uoluptatis genere diem traducas, quando ad nos cogites, ad me si scripseris, magna ex parte, quo pene conficior, meum tui desiderium lenies. sed heus: quid: si ego, quando tu à Rhamnusia tua uilla aegre auelleris, naualis rei paulum intermissa cura, ad te, ut tecum per aliquot dies, hoc est, ut ipse mihi uiuam, excurro?
non

non ita, inquies, nostri amans, non ita strenuus es, ut eripere te tuis occupationibus, tanquam compedibus, & ergastulis, possis. uix equidem potero: sed tua me tamen suauitas, omnium suauissime Rhamnusi, allicit, tua uirtus trahit. quanquam uolens libensq; à me ipso ducar: ut in Marsangi uiridi ripa, solutus omni cura, tecum ad lenẽ undæ susurrum canam: O fortunati nimium. Vale: & aut te nobis redde quamprimum, aut me magno cum comitatu: ne timeas: me, inquam, unum expecta. Vale, Venetijs, M.D.XXX. Idibus sept.

Paulus Sadoletus Lazaro Bonamico S. D.

IN *omnibus tuis ad patruum literis amabilis quædam est accessio mentionis de me tuæ, itaque ex earum lectione duplici uoluptate semper affici soleo, & ea quam ex tuorum scriptorum humanitate atque elegantia capio, & ea quæ propria est amoris erga me tui. postremæ uero tuæ hoc amplius suauitatis habuerunt, quòd una uenustissimũ carmen tuum ad Hipp. Medicem cum eis fuit, & quòd de eo iudicium meum requisiuisti. quorũ mihi utrunque ualde gratum fuit, & legere amicissimi hominis,*

re, & in utroque huberes ingenij tui fructus præ ſtare nobis queas, uerũ habes ad ea patrui literas. Nos in Ariſtotelis Politicis uerſamur hoc tempore, magna quidem ſpe, ſed maiore delectatione: caue enim putes quicquã me antea auidius legiſſe, quàm hos maximi illius philoſophi libros. in quo ſtudio te aliquando, ac tuam opportunam mihi operam deſidero, ut quo auctore huius philoſophiæ, quæ ad mores pertinet initia attigi, quandoquidem tu me ad libros τῶν ἠθικῶν omniũ princeps admonuiſti, eodem hoc adiutore extrema perſequerer. ſed hæc optari melius, quàm ſperari poſſunt. Tu quòd me multum amas, idq́; iuſtis de cauſis te facere exiſtimas, facis quod tua uirtute, & bonitate dignum eſt. ſed eſt eiuſdẽ bonitatis, atque humanitatis tuæ, cogitare, me, cum non pauciores cauſas habeam diligendi tui, ne in amore quidem, ac beneuolentia tibi concedere. Vale, & meis uerbis Bembo, & Polo ſummis uiris, quorum ego uirtutem magna obſeruantia, atque admiratione proſequor, plurimam dic ſalutem. Carpentoracti, VIII. cal. Decemb. M. D. XXXIIII.

Bernardinus Maffeus Lud. Casteluitro S.

ACCEPI ex amantissimi, & suauissimi fratris literis, quas ad me proxime dedit, te Romæ esse; quod quidem me summa uoluptate affecit, cum te inde inuitissimum superiore anno discessisse recordarer. Nunc uero ita te in urbem reuertisse mihi persuadeo, ut diutius istic tranquillo, pacatoq; animo esse possis, longe à domesticorum tuorũ acerbitate seiunctus, à quibus quidem honeste dissentire non poteras, teq; ad eorum uoluntatem accõmodare animi tui altitudo minime patiebatur. quam ob rem quieta esse omnia, ex isto tuo reditu coniectura assequi mihi uideor, ex quo non solum tibi, sed mihi ipsi gratulor. Illud uero hæc me minus æquo animo ferre cogit, hoc est mirificum tui desiderium, quod quomodo tanto temporis interuallo ferẽdum mihi sit, profecto nescio, nisi id crebra literarũ missione leniatur. quid enim dicam de iucundissima illa nostra consuetudine? deq; familiarissima sermonis communione? quid de studiorum similitudine? qua superioribus temporibus coniunctissimi uiximus: quibus omnibus cum me priuatum intelligã, quo

quo me animo esse censes? ueruntamen mi Ludoui-ce tu hæc omnia mihi ex quadam quasi tristitia in gaudium poteris conuertere. neque enim tam acerba hæc mihi accidisse existimauero, quàm illud gratum, si fratrem meum, tui studiosissimum, complectaris, ames, foueas, eumq́; minime firmata uirtutis stirpe, de uia decedere nullatenus patiare. nosti enim quàm lubricas uias adolescentiæ urbs nostra ostendat, iucundissimarum rerum uarietate, ac tot tantisq́; uitiorum blandimentis referta, quibus facile illa ætas capitur, sopitaq́; conniuet uirtus. Quamobrem te oratum uelim, ut eum cunctantem, ac sibi quodam modo diffidentem excites, tuaq́; uirtute, ac prudentia à lapsu sustentes, eumq́; ad incepta studia cohorteris, ut dignus parentibus, ac maioribus suis appareat. Sed hæc tu melius. Iulius Arcanus nonis Sept. Patauium uenit, seq́; ad Riccij nostri amicitiam adiunxit, nobiscumq́; paucis diebus commoratus Venetias nauigauit, in Carnos profecturus: at Riccius X. cal. in patriam excurret, ut cal. Dec. reuertatur: postq́; eius reditum familiarissime uicturi sumus dum hic erimus. Arcanus uero domesticorum iniurijs agitatus, simul ac ex meis literis te istic esse cognouerit, in urbem ad-

N *uolabit*

uolabit, cum ad summũ, atque incredibilem ipsius in ista loca proficiscẽdi cupiditatem tui desiderium accesserit. De Cataneo *nostro, noui quid ad scribam nihil habeo, nisi me ad eum literas sæpius misisse, quibus me totum patefeci, nec ullum adhuc respon sum accepisse. quare illas interijsse puto: durius enim aliquid de illius uoluntate dubitare, necessitudo, quæ iam pridem mihi cum illo intercessit, mutuis firmata officijs, minime patitur.* Tu *si quid habes quod nostris dignum literis iudices, me quamprimum facias certiorem.* Vale.

Io. *Baptista* Egnatius Matthæo Aduocaro S. D.

NON *licuit mihi, id quod uehementer optabam, aut celerius, aut uberius ad te scribere; quòd aduersa ualetudine mensem amplius afflictatus, in hunc usque diem conualescere adhuc omnino non potui. quæ enim quotidie morbi tentationes accedunt, eæ etsi permolestæ ita non sunt, ut eas facile robustiores ferre non possint; mihi tamen uel leuiores quæ accidunt, & corpus, & animum sic exercent, ut literis operam dare, à quibus auelli grauissimum per se est, corpore affecto, animoq; exercito*

to non detur. Accipies *tamen interim à me, si non rerum omnium copiam, quod & pro tua erga me uoluntate, & pro publica utilitate cupiebam; saltem, quod ad rem præsentem attinet, tantũ, quantum tibi uiro doctiss. &* Veneti *nominis studiosissimo satis esse possit.* Iam *primum, quod de* Timauo *quæris fluuio, tametsi accurate tu quidem, & copiose multa tuis literis, id tamen scias uelim; nunquam à ueteribus addubitatum, quin ad extremam* Carnorum *oram; è septem fontibus labens, inter* Carnos, & Iapides *limes esset, ab eoq; Carniæ oræ auspicium sumeretur.* Atque, *ut* Plinium, Strabonem, *quos tu testes adducis, omittam; (nam de poetis mox)* Mela *certe noster, solertiæ, & eloquentiæ in eo genere scribendi non uulgaris, in ora à* Tergeste *proximam esse* Concordiam *fatetur: apud quã* Timauus, *nouem capitibus exurgens, uno postea ostio in mare emittitur: deinde* Natissam *non longe à mari ditem attingere* Aquileiam. *sed si cui hoc in genere credas,* Antonino *principi, qui uniuersum imperium* Romanum *peragrauit, dimensusq; est suis spatijs, certisq; interuallis, fidem præcipuã tribuas. ille igitur in suo itinerario non modo* Timauum Carnis *uendicat, sed, dum eam describit*

 oram

oram, à Timauo ſemper auſpicatur. primum enim ſic per Liburnicam Scceſiam M. paſs. CCXIII. à fonte Timaui, & iterum ab Aquileia per Hiſtriam extra mare Solonas M. paſſ. CIC. ſic fonte Timaui. quo plane principis alioqui magni teſtimonio nihil certius, nihil luculentius eſſe poteſt. nõ ſolum enim inter Liburnos eum locat, ſed principium inde ſemper ducit. Iam nec Vibij Sequeſtri iudicium contemnere haudquaquam debeant, qui aduerſantur publico noſtrati iuri. Sequeſter igitur Timauum Aquileiæ Gallicæ aſtruit. Quid, quod Sontium amnem ueterum agnoſcunt nulli, ſed tantum recentiores? ut, niſi me memoria fallat, Sontij amnis nomen primum legatur ſub aduentum in Italiam Theodorici Gotthorum regis, prodentibus certatim ſcriptoribus, ad Sontium uictum Odoacem memorabili prælio à Gotthis. qui alioquin, ut inter Carnicos fluuios, minime contemni à ueteribus debuiſſet. is iuxta Iapidiam, quæ hodie magna ſui parte in Caruiolam, & Carinthiam abijt, ex alpibus fluens, Septentrionem primum, mox brumalem occaſum petens, inter ſaxa, monteſq; præceps fertur. iam Plytianæ inſinuatus ualli ſatis placidus, iterum uiolentus inter ſaxa, rupeſq; deprehenſus occurrit rurſus pro-

pe

pe Caporetum, (id loci est nomen) ponte sexagenũ pedum longitudine; unoq; fornice utranque ripam complexus, mitior labitur; Tulminiamq; arcem prætergressus, Hydriaq; amne auctus, in Sontiacam uallem (Runcinam accolæ uocant) apertis campis liber, Vipano amne ditior, & iuxta Aquileiam Natisone leui alueo in mare erumpit. ut credere possis Natisonem tantũ à ueteribus cognitum. quo fit, ut minime ueterum scriptorum auctoritas suffragari his possit, cum Sontium limitem fori Iulij indicant, cuius ne meminerũt quidem. quid, quòd recentiorum nulli calculum pro his ferant? an Aeneam Siluiũ testem laudent? qui stirpis Italicæ summ in Germanos studium ubique testetur? quod in posteros etiam transmiserit. quis igitur eius testimonio aut deroget, aut abroget? audi igitur, quæ uir sane in multis diligens in sua Europa prodiderit. Carni, inter quos Iapides enumerantur, Histros sequuntur. Sclaui tamen, quorum sermo in terris uiget, Carnos bifariam diuidunt, Caruiolam duplicem fatentes, alteram siccam, aquarumq; egentem, in qua Histros collocant, et Chersos, qui medios inter Labacum, & Tergestum incolunt montes, & ad Timauum usque proferuntur: alteram irriguã,

 aquisq;

aquisq; abundantem, in qua Sauus ortum habet, & Nauportus, qui Labacus dicitur. hodie uero fluuium, & oppidum in eo tractu Lubianam accolæ uocant. sed ille idem, dum Histriæ paulo ante meminit, hæc uerba subtexit. Histri hodie Sclaui sunt: quamuis maritimæ urbes Italico sermone fere utantur. prouinciæ huius pars maritima longe melior Venetis paret: mediterraneam Austriæ principes obtinent. Et paulo post. In hac terra nihil memorabile inuenias, præterquam quòd Australes, & Venetos magna de finibus cõtentio agitet: ad quas lites componendas sæpe à Cæsare arbitri dati, inducias quidem dedimus, summam rei amputare nõ potuimus. Hæc Pius. cuius scriptis quis hodie Germanici nominis non tantum tribuat, quantum Palladis, ut aiunt, suffragio? nam Senis Etruscis ortus, à secretis Friderico Cæsari fuit, summa cum auctoritate, & gratia. cuius principis fauore dignitatibus amplissimis ornatus ita est, ut pontificatũ adeptus, omnem eam dignitatem ad Friderici nutum rexerit. De Histriæ igitur finibus ille dubitatum, atque disceptatum se arbitro est auctor. De Carnorum finibus ne uerbum quidem unquam factum. Quid quod proferre habeant, ni fallor, nul-

 lam

lam unquam contentionem de finibus Carnorũ inter Cæsarem, & Venetos fuisse, nisi post Gradiscam ab his receptam, & bellum postremo gestum? Cæterum quando huc ventum est, non possum, in hac præsertim causa, non omnia colligere, quæ omnem tibi scrupulum ad præsens eximent, reliquis postea doctis ingrata nõ sint futura: Hanc Carnorũ oram Venetiæ finibus à ueteribus inclusam: quod Liuius sit auctor, qui Aquileiam in Venetia deductam coloniam prodat, pulsis inde Gallis, et iterum Aquileiensem agrum Gallorum appellet: quæ res Martialem ab errore uindicet, qui Euganeum Timauũ appellet, id est Venetum, cuius alueo felicem Aquileiam mox canat. nam Lucanum ab errore, in quẽ satis apertum atque insignem lapsus est, id asserat, quòd suam Pharsalidem inemendatam reliquit, Pisonianæ coniurationis pœnas morte immatura luens. satis enim constat, præter tres primos libros, quos cum Argẽtaria Polla uxore diligentius emendarit, reliquos informes, ursinæ carnis in morem, esse editos. Nec sane est, cur quis miretur Blondum, alioqui non pessime meritum, illustrandis Italicis rebus falsum: qui sane multo fœdius est lapsus in multis. sed & ea ætas hominem tulit, ut magis

mirari possis hominis per ea tempora solertiam, et industriam, quàm accusare aut ignauiam, aut negligentiam, præsertim cum poeta prudentiss. ignoscat facile ijs, quibus magno in opere somnus obrepat. Omitto igitur Sabellicum tibi notum, omitto Volaterranum abs te citatum, adde huc Ioannem candidum Foroiuliensem, qui & ipse patriæ suæ corographiam aggressus, quæ uulgo excusa legitur, à Timauo exordium sumit. ille igitur in hæc fere uerba. Timauus ex Iapidiæ finibus ortus, non longe à suis fontibus progressus, in cuniculũ quasi manu factũ præcipitatur, atque ita absorptus diu per subterraneos meatus haud procul à mari, pluribus fontibus erumpens, statim uno nauigabili alueo mare ingreditur: ut intelligere iam possis, unde eminentiss. uates Iapidis arua Timaui dixerit. sed & statim à principio operis: Portus habet præcipuos, Timauum, antiquum Italiæ terminũ, (Fontanellas accolæ uocant) ex Timauo Pontianum, ex fontibus Montis Falconi Sdobium; quem Sdoba amnis efficit. ij tres Tergestinum sinum prospiciũt. Hæc sunt, uir ampliss. quæ ad præsens respondere ad tuas potui literas. non dubito, quin tibi meliora multo domi nasci possint, si modo incumbere

huc uolueris. quod te facturum, & præstans erga Venetam remp. studium, & spectata in omnibus negocijs probitas tua facile persuadeant. Vale. Venetijs, VII. cal. Dec.

Io. Baptista Egnatius Romulo Amasæo S. D.

ET amo te mi Romule plurimũ, quod tibi perspectum plane non dubito; & amare te prius non desinam, quàm uiuere desiero. quòd si etiam apud inferos erit nobis superstes sensus, illuc quoque sensum summi amoris, & beneuolentiæ mecum deferam. quòd si quid liberius Lazarus meo nomine tecũ aget; id ipsum à summa mea in te animi propensione profectũ, dubitare haud sane debes. quis enim saltem in sinu, quod aiunt, querelas non deferat? ò securum te hominem, ne beatũ dixerim, hac de fortuna, cum tu in patria inter tuos, uxore, & liberis, multorumq; gratia sic flores, ut inuidere tibi multi, nullis inuidere ipse possis. ceterũ, ut quã secundiss. tibi res sint, fluantq; ex animi sententia; quod perpetuum deos immortales precor: meminisse tamen amicorũ etiam in magna fortuna debes, et eorum præsertim, qui non minus te diligunt, quàm admi-

admirantur. potuisti, amabo, citra piaculum huic tam amplæ, tam magnificæ interesse lætitiæ, ut Egnatius interdum non occurrerit tuus? An sine amicis dulce aliquid esse, aut iucundum potest? Dij immortales opulentiores tibi amicos propter egregiam uirtutem tribuere potuerunt, amantiorem nõ potuerunt. sed, quocunque eris in nos animo; ego nũquam esse desinam, qui erga te tuosq; omnes esse debeo. quod ut re intelligas ipsa, conditionem tibi honestissimam, & quam optare uotis etiam debeas, offero. in Thilesij nostri locum, uiri sane & egregie literati, & certe plus boni, quàm ut hæc ferant tẽpora, cupio te adsciscere. capies ex industria tua centena quinquagena annua: idq; ἀκονιτί φασι. nam pomeridianis horis duabus ad summum prælegendum tibi nostris scribis, bonarum artium ut nec ignaris, sic plane sitientibus, sentientibusq; fructum in his maximum esse repositum: quod ad profectum mirum in modum facit. Thilesius centena tamen meruit. tu quinquagena insuper referes, mea commendatione. quàm honestum, & tutum tibi Venetiarum perfugium sit, familiariq; rei tuæ commodum, facilius tu multo tecum, quàm me consiliario, statues. fac saltem, per ueterem amicitiam

citiam nostram, animum intelligam tuũ. Procuratoribus cleri nostri, qui tibi hasce reddent, uiris haud improbandis, meo nomine, quantum poteris, ut commodes uelim. quicquid in hosce contuleris beneficij, in me collatum existimabis. fac quæso intelligant, Romulum non minus esse bonum uirum, quàm gratum. tametsi qui gratus est, non potest nõ bonus esse. Vale. Venetijs, calendis Ianuarij, M. D. XXX.

Romulus Amasæus Io. Bapt. Egnatio S. D.

ACCEPI *abs te literas* X. *cal. Ianuarij, in quibus tuum in me amorem, tam multis in rebus mihi cognitum, & perspectum, tuam etiam pristinam iocandi consuetudinem, atque urbanitatis plenissimum leporem agnoui. respondebo prius ei parti, in qua cupere uideris, mihi testatam esse tuæ in me beneuolentiæ constantiam, ac perpetuitatem. me tibi deinde, uel per iocum subaccusanti, quod fecit et ante Lazarus noster tuis uerbis, purgabo: ut, siqua forte alienior ab amicitiæ nostræ sanctitate, ut ita dicam, suspicio in eo ioco latet, ostendam, causam certe nõ fuisse, cur quidquam de mea*

in

in te obseruantia, ac fide dubitares. Ac primum, quod affirmas te, quo ante erga me animo, & uoluntate fueris, eadem nunc esse, ac semper futurũ, fuit mihi iucundissima hæc amoris tui in tuis literis tam expressa testificatio. etsi eam pro eo iudicio, quod de grauitate tua semper habui, proq; mea officij, ac pietatis uerius erga te conscientia, minime necessariam fuisse iudico. Quod uero, secundis me rebus elatum, putarete dicis & nihil ad te iampridem literarum dedisse, & nuper, cum Pontifex maximus, & Cæsar ad hanc urbem aduentarent, te nõ inuitasse: primum ita uelim existimes, ea uitæ hõnestius paulo, & commodius agendæ adiumenta, quæ summis contentionibus comparata, quotidianis, ac magnis laboribus tueor, non interpretari me adeo secundas res esse, ut uel leuissimi hominis animum fastidiosiorem, atque insolentiorem reddere debuerint: sed, ut mihi omnia ex uoto, & ex animi sententia euenerint, tu quidem, si tua me dignum amicitia, id est uirum bonum esse putas, ab ingrati, & immemoris animi uitio longissime abesse existimare debes: aut, si tam longe tibi uideor ab humanitatis officio discessisse, quid est, quod me tantum diligas, quantum & ipse prædi-

cas,

cas, & mihi ipse persuadeo? sed iocaris tu scilicet, ut soles, & me iuuat id tibi per secundissimam, & certissimam fortunam licere. me uero plurimum doleo esse adhuc iniquiore, ac duriore fortuna conflictatum, quàm ut referenda gratia uel minimam tuorum erga me meritorum partem consequi possim. At, inquies, in quauis fortuna ad me scribere potuisti. Ego mediusfidius toties scripsi, quoties scribendi se mihi argumentum obtulit, neque tu, opinor, sæpius. inanium autem, & ambitiosarũ quoddam literarum genus à tam confirmata, & inueterata amicitia abesse oportere semper duxi: præsertim cum, ut mihi non defuerunt, à quibus de ualetudine, rebusq; tuis prope quotidie certior fierem, ita tu istic habueris Virgilium affinem meum, ex quo de me, quicquid quæsisses, facile posses cognoscere. Atque ego ei quoties per literas mandaui, ut tibi à me salutem diceret, deq; statu meo te diligentissime doceret? quod uero ad illum potius quàm ad te scripserim: ad ipsum certe, ac multos eius ordinis, cum res cogeret, scripsi, & populari sum scribẽdi genere usus: ad te uero neque ualde fuit quod scriberem; & qui semper non modo negocijs districtus, sed maximis etiam molestijs obrutus fuerim,

cum

cum quales uellem non possem, malui nullas, quàm īndignas, quas legeres, ad te literas dare. At non īnuitaui te: ne patrem quidem meum. nam quid ego eos inuitem, in quorum officio ac potestate & domum totam, & mea omnia magis, quàm in mea ipsius, & esse uelim, & uelle debeam? & certe ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοί. *neque uero ut te non inuitaui, ita nō expectaui, qui adduci poteram, te quamprimum ad nos non aduolaturū. et quoties intuebar tempus illud cogitatione, quo te cōplecterer, tecum loquerer, tecum ambularem. tu uero non meam modo, sed meorū omnium, quibus aduentus tuus optatiss. contigisset, expectationem fefellisti. quare non ego, qui te ad communes penates, & ad nos, qui tui sumus omnes, non īnuitaui, inhumanior, sed ipse durior, ut agam tecum familiarius, quem neque pulcherrimi spectaculi, & tantæ celebritatis fama, neque nostri uisendi studium ab ocio tuo, ac tuo isto Gelarini secessu potuerit dimouere. Hæc, quæ mei purgandi causa primis literarum tuarum partibus responderem, habui. Illud, si non est omnino superuacaneū, addam: neminem esse, quem quanti te faciam, cuiusq; tam & frequens mihi, & iucunda sit recordatio.*

tio. Erat in exttema pagina tua de Thilesiana con ditione. in quo tuam de me benemerendi pristinam curã agnoui. mea tamen causa, in hoc genere quod labores, nihil est. nam Bononiensium me senatus ornauit, atque honestauit accumulatissime, & se quiduis potius, quàm me à se diuelli passurum præ se fert. ei ego abhinc annum fere tertium in quinquennium operam locaui meam: capio S. C. annua certissima HS XII. siue malis aureos coronatos CCC. et est cum auditoribus mihi negociũ per temporum interualla horis singulis, non plusquam nonagies toto anno. Quæ quoniam mihi con ditio turbulentissimis temporibus in officio mansit, non dubito quin iam tranquillis, & pacatis fir mior, ac prolixior etiam futura sit, cum præsertim ad eam tuendam, atque etiam augendam, neque optimorum ciuium uoluntas, neque summorum ho minum studia, nec Clementis pont. max. ac, si quid ad rem attinet, Cæsaris etiam ipsius Imperatoris gratia defutura uideatur. Quare nisi eiusmodi quid hinc me exturbarit, qualia præter spem, atque opinionem multa possunt accidere, unum id mihi certe cogitandum est, ut his, qui de me quamoptime meriti sunt, cum nullis fere alijs facultatibus pos-

sim,

ſim, officij ſaltem, atque operæ perſeuerantia ſatiſfaciam. De cleri procuratoribus, quos mihi commendas, ſcito redditas mihi tuas fuiſſe literas à tonſore meo, qui ſibi eas ab homine plane ignoto datas eſſe dixit. illi me ſi conueniſſent, ac ſi qua in re opera mea uti uoluiſſent, tuæ commendationi ſtudium, officiumq́; meum non defuiſſet. reſpondi epiſtolæ tuæ tardius, quòd aliquot dies orationis de pace, quam nominatim mihi pontifex maximus decreuerat, me detinuit meditatio. eam cum cal. ipſis Ian. habuiſſem, Pont. max. ac Cæſare ſacris præſidente, in pleniſſimo flaminum, minorum pontificum, legatorum, & principum conſeſſu; ſucceſſerunt aliæ nihilo leuiores occupationes: à quibus quod primum ad reſcribendum tempus datum eſt, eo ſum uſus. te obſecro, ut, qua in te ſum fide, non ſcribendi minus plerunque neceſſario hoc officio, ſed moribus, naturaq́; mea, quæ ſi tibi non eſſet probata, me tu certe non diligeres, metiare. Vale. Bononia, X. cal. Febr. M. D. XXX.

Georgius

Georgius Selua Petro Bembo S. P. D.

CVM singularis tua uirtus, qua nihil amabilius esse potest, multis rebus mihi perspecta, me totum ad amorem atque cultum tui iampridem conuertisset, effecit haec proxima amoris significatio, quae sese ostendit in ijs literis, quas ad me perhumaniter scriptas dedisti, non ego quidem ut te plus amarem, (nec enim poteram) sed ut tua facilitate fretus, aliquando tandem meum erga te studium tibi per literas declarare auderem. quod equidem coram facere decreueram, eoq; consilio me Patauium contuleram. sed cum mihi tum tui conueniendi potestas facta non esset, quòd tu eo ipso die, quo illuc adueneram, rus discessisses, petij ab ijs, quos tecum familiaritate & amicitia ualde coniunctos, à me autem pro sua humanitate non alienos esse scirem, ut te uerbis meis plurimum saluere iuberent, tibiq; de mea uoluntate prolixe pollicerentur. nunc autem animaduerto illos, intra fines mādatorū haudquaquam constitisse, cum ea tibi de me, quae scribis, praedicarint. quibus si te fidem habere, uirum summi iudicij, ac non potius ita ea interpretari, quasi

ab amicis beneuole & indulgenter dicta, existimarem; hunc ex animo tuo errorem euellere conarer. sed ne ipse mihi nimium fauere uidear, si aliũ facile adducar ut credam sibi quicquam magnum de me persuasisse; nihil de hac re addam. Vnum illud est, quod & tum eorum sermone significari tibi uolueram, & nunc meis literis confirmari oportere iudico; cum ab omnibus certatim ameris propter diuinas tuas uirtutes, nulli tamen me concedere, qui tui sit amantior, ac studiosior, quàm ego sum. Quod autem spem mihi affers aduentus tui, simul ac negotia tua isthic explicaris: est id quidem eiusmodi, ut me in aliquod tempus sustinere possit; sed si tuæ occupationes diutius te retinebunt, ego uel reclamantibus publicis negotijs, in quibus me nũc uersari oportet, accurram ad cõplexum tuum: quo mihi caue putes quicquam posse esse optatius. cum enim ex scriptis tuis grauissimis & elegantissimis, in quibus, ut breuiter dicam, ipsius antiquitatis uerissime mihi expressa imago uidetur, animum tuum quasi intueri nobis sæpius contigerit: hoc unum ad summam nostram felicitatem deesse uidetur, ut uultu quoque ipso & conspectu tuo aliquando perfruamur. quod quoniam cito fore ostendi, reliqua

liqua in nostrum congressum reseruabo. Literas, quas ad Bollinum dedisti una cum pyside, cum primum fieri poterit, ad eum perferendas curabo. Danesius, cui ego ex tuis literis salutem dixi, in magni beneficij loco habuit memoriam sui tuam: meq; rogauit, ut tibi uicissim suo nomine salutem plurimam ascriberem. Vale. IIII. idus Septemb. M. D. XXXIIII. Venetijs.

Cosmus Gherius Paulo III. Pont. Max. S. D.

CVM expectatissimus, atque optatissimus nuncius in hæc loca uenisset, Sanctitatem tuam mirifico omnium Cardinalium consensu, ac incredibili totius urbis lætitia Pontificem Max. esse declaratam; ego quidem pro ea, quam sustineo Christiani hominis, & Episcopi persona, duo munera mihi obeunda esse quamprimũ duxi: unum ut Deo Opt. Max. gratias agerem, qui tali quidem tempore eũ nobis Pontificem benignitate sua quasi de cœlo demisisset, quo neque meliorem, neque sanctiorẽ, aut reip. Christianæ rationibus accommodatiorem optare potuissemus: alterum ut in sanctissimis pedibus tuis deosculandis, beatitudineq; tua ueneranda,

atque adoranda partes meas desiderari ne paterer. horum ego duorum munerum, primo quidem ut Deo gratias agerem, diligenter sum perfunctus. alterum uero etsi præsens iam iam istic persoluere ardebam, tamen eo iudicio usus sum, ut cum Patauij iustissima de causa nunc adessem, scilicet, ut literarum, bonarumq; artium præsidijs instruerer: maturitatem quandam eius rei mihi expectandam existimarem: quæ cum uenisset, tum illud officium meũ opportunius, sanctitatiq; tuæ gratius fore arbitrabar. hæc me ratio Patauij tenuit: eadem uero ardorem illum extinguere non potuit, quin quoquo interim possem modo ad sanctitatis tuæ pedes Romam usque deuolarem. quod cum alia ratione absens, quàm scribẽdo, facere non possem, ad has literas accessi, quibus non secus ac si istic adessem beatiss. pedibus tuis oscula darem, omnesq; meas industriæ, uitæq; partes sanctitati tuæ, quam aliquot iam annos summa fide coluissem, nunc certe in perpetuum dicarem, atque consecrarem. hæc literarũ mearum fuit causa, quibus scriptis sanctitatem tuã mihi ueniam facile daturã sperabam, si, ut officio, pietatiq; meæ satisfacerem, grauissimas occupationes suas interpellauissem. ego uero Deo supplicare

care non desinam, ut quæ lætitia prius urbem Romam, paulo post Italiam totam, iam iam uero omnes, ut credo, Christianæ reip. partes, ac regiones peruagata est, eam orbi quamdiutissimam, tibiq; pontificatum istum quamfelicissimum, ac faustissimum uelit esse. Vale. Patauio, XV. cal. Nouemb. M. D. XXXIIII.

Cosmus Gherius Episc. Fanifortunæ Benedicto Rhamb. S. D.

DE literis, quas mihi obtinuisti, multũ te amo. quod autem rem istam leuem, ac tenuem appellas; eo sum magnopere delectatus: amoris enim uim in ijs uerbis maxime perspexi: qui facile facit, ut nihil, quod amicorum causa suscipias, graue tibi, aut difficile uideatur; omnesq;, ut etiam de honore scribit Xenophon, ἐπικουφίζει τοὺς πόνους. Maffei oratiunculam uideo abs te probari; cũ scribas summa cum uoluptate legisse; lætorq; amici nostri causa. Ego in dies melius habeo: ita ut medicos omnes imitatione tui contemnere incipiam: sed à me tamen excipiuntur ij, qui nimiam librorum consuetudinem tanquam κακόχυμον ualde accusant. hos

enim libenter audio, qui mihi ueram tenere medicinæ rationem uidentur. tu nescio quantum ijs credas. sed certe, quanto maioré ijs fidem habebis; tanto melius ualetudini tuæ consules. Ottoboni *salus mihi carissima, tua* Ludouico, & Nicolao *periucunda fuit: quare cum ego illum, tum ij te amantissime resalutant.* Vale *mi carissime* Rhamberte. Patauio, XI. *cal.* Quintil. M. D. XXXVI.

Cosmus Gherius Benedicto Rhamberto S. D.

QVANTVM & *humanitatis, & beneuolentiæ duæ illæ causæ præ se ferunt, quibus, ut scribis, commotus es, quo multo maturius, quàm expectabam, mãdatum curares meum. una est, (delector enim eorum commemoratione,) ut ex hac celeritate intelligam eam rem non habuisse difficultaté: altera ut siquid aliud interea mihi abs te opus esset, ne forte petere uererer, cum intelligerem adhuc te in altero meo negocio laborare.* Itaque *ut uideo neque tibi graue quicquã ducis, quod mea causa facias, et, ut aliquid imperé quotidie tibi, mini me recusas.* Næ *ista tua singularis humanitas est: & quæ te mihi amandum, et iucundum, et suauem*

facile

facile præstet. sed de hoc hactenus. Quod literas meas præsertim latine scriptas tantopere à te desiderari significes, an tu id facis quia me usum eius linguæ tenere putes, et Romane loqui? at ego quidem lõge aliter sentiebam. sin tu aliter existimas; malo in sententiam tuam uenire, quàm meum iudicium limatissimo tuo anteponere. sed tamen extra iocum, neque literas meas dignas esse, quæ tanto studio à te expetãtur, certo scio, & tamen, te falli cum eas desideres, uehementer gaudeo: nam id quoque tuæ in me beneuolentiæ tribuo. aduentus tuus longe abesse non potest, si quidem, ut scripsisti, non plus decem diebus opus erat, ut quod reliqui est ex Bembi libro imprimeretur. sed amabo te, non ne iam illi pauculi lapsi sunt dies? mihi quidem, qui te uidere ualde cupio, præteriisse uidebantur. Ego tibi Ludouici nomine, tu meo Barocio, & Ottobono sal. pl. dices. Vale. Patauio VI. id. Quintil. M. D. XXXVI.

Cosmus Gherius Benedicto Rhamberto S. D.

VTAMVR *literarum sermone mi Rhamberte, qui nos quodammodo copulet, quando loco-*

rum interuallo nunc disiungimur, & si ne antea quidem simul unquam fuisse mihi uidemur, ita ut ex istis ego locis, uetus meum tui aliquando fruendi desiderium mecum deportauerim. Ego Fanumfortunæ ante diem cal. Nouemb. saluus ueni: quo in loco multa habeo, quæ me delectent, in primis autem, quod non parum diœcesi meæ rationibus interest me hic adesse. In quo si mihi assentarer, mirandum non esset, cum omnino causas aliquas quærere debeam, quamobrem Bembi primum, deinde optimorum amicorum desiderium patientius feram. nam quid dicam tui? quem nunquam didici non desiderare, cum tui præsentis quidem facultas data mihi nunquam sit. de quo paulo ante querebar tecum. Nicolaus noster, non inuitus, ut mihi uidetur, in hoc uitæ genere, mecum, & in his locis uersatur, in discipulis suis recte instituendis magna diligentia utitur. Mihi quidem & satisfacit, et probatur, & carissimus est. literas à te non postulo, quia non dubito te non missurum esse. de quo si quid uererer, magnum efflagitatorem haberes; & quidem iure. nam minime mihi probare debebas, me abs te unice, ac singulariter amari, nisi omnibus officijs mutuo mihi respondere paratus esses. sed

hoc

hoc genere tecum nihil opus est. De communibus amicis nostris non nihil ad me scribas oro, non solum de meo Barbaro, de Barocio, deq; ijs, qui istic sunt, sed etiam, si quid ex Aegypto de Contareno affertur, fac ut sciam. Dominico Mauroceno, excellentissimo uiro, mihiq; amicissimo, meo nomine salutem dicito, item Ottobono tuo. Fasciculum Bembo inscriptum ualde tibi commendo. Vale, et me, ut facis, ama. VI. cal. Dec. M. D. XXXVI. Fano Fortunæ.

Iannus Parrhasius A. Manutio S.D.

NON stetit, nec unquam stabit per uanum Ligurem, quin aliquid de beneuolentia erga me tua decedat. ita nihil omittit, quod offendere possit alterutrius animum. non dicam quid ad aures multorum quotidie garriat. indignissime te ferre, quòd eum dimiserim, quòd ea de causa non integra mihi gratia tecum sit. et insulsi nugatoris alia multa. cum satis constet eum non modo nihil habere, quod ingenuos adolescentes doceat, præter inalpinam strebliginem, sed esse prorsus indocilem. quo nomine & pristi nus herus eum non retinuit, & alium sibi

sibi, uel minimi, uel etiam gratis ad hanc diem parare non potuit. At hæc in eo leuia, sed audi quid in amicitiam nostram patrauit. auctoratus ad exscribenda nostri laboris monimenta, quas scis obseruatiunculas in quatriduum sustulit, in causaq; fuit, ne tibi, sicut scribebam, mitterentur. demum mentitus habere se certum hominem, cui recte ad te darem, per aliquot dies penes se retinuit, ad exscribendum credo. nudius tamen quartus, an quintus est? ad multam noctem, cum forte sacerdos opt. & ætatis suæ cantorum peritissimus Francinus Gaphorus apud me cœnatus esset, ecce tibi nescio quid frigidi causatus, illum cui dederat in aliud tempus distulisse profectionem suam Venetias, epistolam, quam tibi iam redditam cum codicibus arbitrabar, mihi retulit. Ego tum stomachabundus ad te Francino hospiti dedi, nec dubito quin acceperis. Aliud insuper, & atrocius attentauit. Heri fui. F. nomine Lysiam finxit apud patrem de nobis obloquutũ, quo me cum Capris (ita familia Vincentiæ primaria dicitur) aliquo pacto committeret. Ego, qui delatoris ingenium noram, statim per literas accersiui Lysiam. Ligur ait, se nunquam, quæ mihi, Lysiæ confessurum. quid tum? multis ultro, citroq; iactatis,

tis, ex conscientia solum uertit. quò se receperit ignoratur. isthuc auguramur. habes historiam Liguris olim tui, meiq́; nunc, ut puto, neutrius. nā quem non caperet inducta illa persona? quem uero deprehensa non moueat? Caue putes esse quenquam aut ita uersipellem, aut bilinguem. sed uitiū gentis est, ideoq́, non adeo culpandum, quàm fugiē dum. Vale. Ego adhuc ex acerbissimo morbo iaceo. Vicentiæ.

Nicolaus Draco Baptistæ Egnatio S.D.

CVM *tertio abhinc mense istic tibi occurrissem in ea urbis uia, quæ ab area Martiana ad Riuū altum ducit, quæsissesq́; à me, nunquid Vincentinā conditionem, quæ in tua esset manu, accipere uellem; scis me tibi nulla interposita mora respondisse,* * *quotidie mihi nouas honestissime apud se uiuendi spes, rationesq́; ostentare, quas si temere deseruissem, omnium fortunarum mearum naufragiū uidebar esse facturus: propterea nihil noui esse mihi in animo moliri, dum expectarem, quorsum tot, tantæq́; eius hominis, quibus me semper obrueret, pollicitationes tenderent. Tali itaque animo prædi*tus

*ditus oblatam à te celeberrimæ illius ciuitatis conditionem, è manibus dimisi, nihil unquam fore suspicans ut splendida illa, ac magnifica uerba, toties ab eo passim iactata, tam breui temporis spatio me deficerent, ad nihilumq; reciderent. ex illo tempore, quo huiusmodi sermonem inter nos instituimus, ad hanc diem, nihil, quod ad eorum rem, dignitatemq; pertineret, quod equidem sciam, prætermisi. utinamq; tibi per pudorem meum, qua innocentia, atque animi moderatione apud hosce iam per biennium uixerim, commemorare possem. nam si cætera iam me defecissent omnia, sperarem ita rem, causamq; meam tibi sapientissimo uiro probaturũ, ut uel magnam ex eo apud æquitatem tuam patientiæ meæ commendationem ferrem. uerum hæc te malim ab alijs, quàm à me, cognoscere. Cum ergo ita uiuerem, atque meum animum totum ad eorum uoluntatem, nutumq; conuerterem, nihilq;, quod aliqua ex parte pœnitendum foret, id quod uere, & sancte affirmare possum, committerem, ecce mihi Venetijs ab * fulmina afferuntur, quibus mecum grauiter expostulabat, quòd suorum iuuenum in perdiscendo negligentiam, apud se, quam ab alijs compertam habere diceret, neque literis,*

neque

neque sermone, ex quo hic habitare cœpimus, unquam condemnauerim: aliáq; præterea multa in eam rationẽ, quæ sciens prætereo. quasi uero quidquid illi pueriliter deliquerint, ego, qui semper ad bene agendum paratus sum, præstare debuerim: quod quàm inique statuat, ipse, qui omnem eorum superioris temporis uiuendi rationem omnium optime percalluisti, iudices uelim. Quandiu mi Egnati istorum ineptias per meam existimationem, quantulacũque ea de me habetur, tolerare potui, eas uirtute plus quàm herculea pertuli. nunc uero, cum iam meus honos, non dico apud pueros, qui leui quadam ratione repelluntur, sed apud talem uirũ, qui nihil iam per imprudentiam peccat, haud ullo meo hercle merito, in periculum ueniat; nolimq; inter malleum, & incudem, quod aiunt, assidue uersari; constitutum, atque iam plane mihi animo offirmatum est, quàm maturrime id fieri possit, per te potissimum, quem multos iam annos parentis optimi loco habendũ, colendumq; duxerim, rationibus meis mederi. Qua in re tibi etiam atque etiam mi pater uidendum est, ut me eo constituas loco, unde tibi aliquando totius ocij mei rationes reddam. Circumspice ergo per totam Italiæ longitudinem,

atque

atque exquire mihi non onerosam aliquam prouinciam potius, quæ lucrum mihi afferat, quàm honestam, ac leuem, cum minori emolumento, conditionẽ, qua mea literarum studia tueri, atque alere possim. ipse ex animi tui sententia mihi locum statue. scis tu, quid meæ postulent rationes, neq; ego etiã quantum mea causa uelis dubito. interim, quod mihi edideris oraculum, hic, uel in patria mea expectabo: cuius ad normam totius nauigationis meæ cursum dirigam: proq; uirili mea parte enixe operam dabo, ut de officio erga te meo nunquam in his præsertim, quæ ad diuinam uirtutum tuarum admirationem spectent, iure conqueri possis. Vale. Lampridius per me salutem non uulgarem tibi ascribi uoluit. Patauij, III. Idus Ianuarij.

Ant. Thilesius Benedicto Rhamberto. S.D.

ME uero ad reditum ultro paratum nonnihil incitauit epistola tua. sed quis homini iam senescenti, ac naturæ præterea imbecillis, si se per hyemem itineri longinquo metueret committere, ueniam non

non daret? quare Martio mense, qui proximus est; statui, rebus omnibus posthabitis, me accingere. atque eo animo reuertar, ut Venetijs tecum, ac cum cæteris, quos mihi communia literarum studia conciliarunt; reliquum omne ætatis meæ tempus tranquille ducam. Equidem mi Rhamberte nisi in tot, tantisq; rerum fluctibus, quibus sciebam meos fuisse uexatos, non accurrissem, præter quàm quod semper uersatus essem in metu, iure poteram grauiter accusari. quam meam causam; etsi nunquam dubitaui, gaudeo tamen Decemuiris summa humanitate præditis fuisse comprobatam. quibus quoniam placuit, ut scribis, neminem prorsus substituere, priusquam de meo reditu certiores fiant; agnosco amplissimi ordinis grauitatem, æquitatemq;, atque in me, qui illum semper suspexi, & sum ueneratus, non leuem beneuolentiam. unde debeo ei immortaliter, teq; unice rogo, ut, quàm memori, ac grató animo beneficium hoc insederit, apud eundem ordinem pro illius amplitudine, ac maiestate uerbis ostendas honorificentissimis, meq; breui affuturum meo nomine pollicearis. Cur autem reditum non maturauerim, ex alteris literis, multo quàm hæ prolixioribus, quas arbitror tibi iam esse redditas, facile potes intelligere,

intelligere. illud tamen in præsentia scias, & nauigandi tarditate, uix enim quadragesimo, postquã conscendi die, domum perueni fere naufragus, & rerum mearum statu, quas longe aliter, atque opinabar, offendi, fuisse deceptum, quo minus eodem, quo discessi, nauigio recurrerem ante dies, ut constitueram, brumales. spero tamen, uestro omnium ingenio, ac studio fretus, meáq; item solertia, nullum querelis futurum esse locum, ac neminem uestrum doliturum ex hac paucorum mensium intermissione. dabitur mi Rhamberte reditus ad literas, idq; fiet alacrius. quanquam (de te loquor uno) damni ne aliquid tu è meo discessu? quid si, ut uidere uideor, quæstum potius fecisti, Triphonem nactus præceptorem, patricium uirũ, uaria doctrina expolitum, ac summa (utrũque omnes una uoce, cũ istic essem, prædicabant) probitate ornatum? quin tibi, quem alioqui summe amo, pene inuideo, doleóq; ante me discessisse, quàm aliquid ex eius lepore degustassem. sed liceat redire: non committã, ut solus uiro fruaris tam egregio, quem quoniam totum habes, quid petis quippiam aliunde? amabo te excipe omnia, quo possis, ubi affuero, benigne amicum impertire. sed cupio tecum, quamuis serio

hæc

hæc ſcribam, coram iocari, & cum Mario meo, ele gantiſſimo, ac modeſtiss. adoleſcente, cuius quoniam conſuetudine careo, uiuo, uelim crederet, acerbe. unice dicerem à me illum amari, niſi eſſes tu, quo nemo unquam fuit, aut futurus eſt mihi carior. Vale: parentibus tuis opt. fratriq; plurimam ſalutem. Coſentiæ. XII. Feb. M. D. XXX.

Ant. Thileſius Andreæ Franciſcio ſcribarum Principi S. D.

NVNQVAM ex quo à uobis diſceſſi fui non miſer. nam principio cum neceſſitate coactus domum feſtinarem, quæ ego non pertuli aduerſa, ac diuturna tempeſtate fatigatus? unde pene naufragus, uix tandem ad meos peruectus, nihil inueni, quod auribus non eſſet, atque oculis iniucundum. Ad extremum omnia paraueram ut reuerterer, iamq; ante triduum diſceſſurus, ecce, neſcio quonã meo fato è duobus tantum ſcalarum gradibus, recenti pluuia lubricis, delapſus, utriuſque pedis talos ita intorſi, ut aliquot dies ex eo caſu decubuerim, dolore affectus acerrimo. quo iam medicamentis, ac die ipſa ſedato, ulcus infra genu in interior

Ant. Thilesius Benedicto Rhamberto S. D.

O mi Rhamberte, quàm suauis est sermo literarum tuarum: non caret tamen aculeis, quibus partim me stimulas, ad uos ut redeam, partim subaccusas, quòd tandiu reditum distulerim. utinã meo modo liceret uiuere. essem non inuitus quò me reuocas. sed non tantum ætas, atque imbecillitas, corpusq; ualetudine aduersa affectum, ab itinere, & profitendi labore me deterrent, sed multa me impediunt, quæ non est hic scribendi locus. aliæ semper ex alijs me premũt molestiæ, quibus uideo iam præcludi profectionem. quos meos labores futuros cum uelut è specula prospicerem, scripsi non semel ad scribarum maximum, uel uicariũ substitueret, uel certum hominem sibi pararet, quo iuuenes uestri erudirentur. quòd si apud alios, à quibus sæpe fui honestissima conditione ultro inuitatus, literas profiterer, (quãuis cui non permittitur uiuere, ut uult?) haberes cur posses si nõ merito, saltem rationem inuenire, cur me quasi uelleres. sed si non modo Raguseis, qui aureis CC. bis me publico decreto uocarunt, & Mediolanensibus negaui, uerum pa-

triæ ipsi, & huic urbi florentissimæ, nescio unde exoriuntur querelæ. uideo mei desiderio eas nasci. mutuum est, mihi crede, ac nullus fere dies abit, quin doleam, me tibi sapienter, & amice suadenti non paruisse. an apud uos non cuperem uitam agere, & in humanitate, ac lepore tuo acquiescere? sed multa me prohibent, & simul professionis tædia ita me capiunt, ut quiduis potius agendum mihi esse censeam, quàm oneri molestissimo me posthac denuo subijciendum. habes animi mei sensum. ama me. quod nisi feceris, ferreum te putabo. Mariumq; meum, illustrem adolescentem, nostri amantissimũ, in me amando supera. nihil enim mihi tam accidere posset iucundum, quàm si intelligerem tuũ in me amorem non modo non minui loci, ac temporis interuallo, sed etiam augeri. quod ut fiat, in tua est enim manu, te summe rogo. Theupolo uiro clarissimo, cuius ego & doctrinam, & morum sanctitatem nunquam non prædico, Marioq; eruditissimo salutem plurimam. Vale opt. Neapoli, XII. Decemb. M. D. XXXI.

Ant. Thilesius Benedicto Rhamberto S. D.

LITERAE *tuæ, quo sunt frequentiores, atque etiam longiores, eo mihi maiorem afferunt uoluptatem. quamuis cum mecum ipse cogito, qui tam suauiter scribit, tam copiose, tam amanter, eo me iuuene diu caruisse, atque esse cariturum, non possum non angi, & cruciari. quod desiderium augent querelæ, & mœrores tui, quibus acerbe fero te plus nimio confici. quorsum afflictatio ista? pater inquis obijt. tibi ne soli id accidit? absenti mihi. hoc, quia oculis non aspexisti, minus dolendum. at omnibus carus. id uero debet consolari. Nam quod de matris ualetudine scribis, uideo te animo esse admodum leni. age mi Rhamberte, te obfirma, quo filij opt. reditu possit illa, si quam tempus adhuc non deleuit, ægritudinem funditus tollere. Ego, ut ad me redeam, uitam ago sine Musis, hoc est sine uoluptate. quas animi delicias scelus mihi eripuit, famulum dico, qui, ut alias scripsi, ita me compilauit, ut pene nudum reliquerit. quas pœnas fateor me iure, ac merito dedisse. cur enim tuis opt. consilijs non parui? aut agello saltem meo contentus, ci-*

tissima tui mentione accepi: ut facile appareret eũ, cum id faceret, de homine mihi charissimo, meiq; amantissimo scribere. superiore uero anno, cum exactionũ acerbitate grauius in mea sacerdotiola, præsertim in illud Leonicenum, sæuiretur, cui rei non aliud, quàm absentia mea, & eorum, per quos habebatur census, iniustitia causam dederat: inclinant enim illi sine ulla moderatione à se atque suis in alienos onera: rediturus fui ad ueterem consuetudinem meam, ut tibi de meis incommodis perscriberem omnia: teq;, sicut ante hanc diuturnam peregrinationem meam semper faciebam, in auxilium aduocarem. sed me illud quoque scribendi tempus, meo certissimo cum damno prætermisisse, nunc profecto, nunc uehementer delectat: certissima enim hæc tibi fides erit, maius hoc, de quo nunc scribo, direptione rerum mearum mihi uideri, qui illum dissimulare potuerim, hoc non possim. Effugisse mihi uidebar una cum istis locis ueterem quoque illã tibi notissimam fortunæ acerbitatem; & omnia superiorum temporum aduersa, obliuione altissima obrueram; cum mihi ex inopinato eisdem è locis uetustum malum, quod non modo consenuisse, sed plane extinctum, sepultumq; esse uidebatur, nunc de-

nique ab inferis reuiuiscit, meisq; coniunctissimis exitium intentans, nec me quidem tam longe positum quiescere patitur. Ludouicus Mercantis, mearum aliquando, ut quidem ipse uoluit, me inuito, ac nesciente, iniuriarum ultor, post illud notissimum factum, quo Patauij debacchantem perniciosissimi hominis licentiam compescuit: cui facto publica tunc bonorum omnium uoce, non ulla iudiciorum animaduersio, sed honestissima præmia, debebantur: postea quam, in iudicijs re cognita, & apud ipsos denique Decemuiros acta, ex illius summi magistratus auctoritate absolutus est, nunc rursum duodecimo post anno in eiusdem facti inuidiam, atque in periculum uocatur. Hoc ita mihi insitatum, ita ab illius grauissimi magistratus constanti consuetudine alienum uidetur, ut non dubitem irritos omnino fore conatus eorum, quicunque has contra Ludouicum procellas commouerunt, sed tamen quia in amicissimi hominis metu nefas mihi esse ducerem non timere, literas quàm accuratissime potui tota de re ad clarissimum uirum, & mei amantissimum Antonium Surianum dedi: qui præcipue ab inimicis contra Ludouicum inflammatus uidebatur fuisse. Ponderis fortasse nonnihil

mea

mea deprecatio apud humanissimum hominem, meiq; amantẽ, pro meo amicissimo habebit: sed maxima in te uno spes est charissime Valeresi. plus tu Ludouici rebus, siue apud Decẽuiros, siue alibi opus fuerit, præsentia, & auctoritate tua, quàm omnes homines, prodesse potes. tua est ciuibus tuis, ut cognita, sic clara uirtus: tua uox nobis pro multis testimonijs erit: idem tu rem omnem, ut illo meo tristissimo tempore gesta est, melius omnibus tunc uidisti, & nunc puto meministi. Quam ob rem te potissimum toto negocio testem in illa ad Surianũ epistola nominare non dubitaui. quare te per amicitiam nostram, per fidem, per sanctissima communium studiorum, & totius nostræ necessitudinis fœdera obsecro, atque obtestor, causam hanc totam, in qua multus etiam labor tuus initio fuit, nunc quoque suscipe, & amici mei salutem uiribus tuis omnibus tuere, ne mihi unquam obijci possit, quasi ego amico homini ruinæ, atque exitij causa extiterim, quæ sola etiam falsa existimatio uitam omnẽ mihi acerbam faceret, causam autẽ facillimam habes, in qua nihil nisi Decẽuirorum acta tueri oporteat: ultimus hic impetus inimicorum cum à te repulsus fuerit, quies erit per te nobis in perpetuum

Io. Petrus Crassus Episc. Viterb.
Gaspari Contareno S.D.

TVA singularis erga me humanitas, qua praecipuum quendam semper mei amorem prae te ferre uoluisti, nunquam antea mihi uel dignitatis plus attulit, uel uoluptatis. ita enim ad me homines in hac publica tui summi honoris laetitia gratulatum ueniunt, quasi ad quem maxima ex tuis secundis rebus uoluptas peruenire debeat. in quo illi quidem minime falluntur. sed ego gratulantibus mihi undique amicis, tum demum me solido gauisurum esse respondeo, cum, te oblatam dignitatem non repudiasse, resciuero. unus enim hic metus animum meum pro ingenti, atque immodica laetitia, qua me uel ante omnes frui conueniret, cura, & sollicitudine implet. itaque nihil tantopere uellem hoc tempore, quàm me consilijs tuis, deliberationibusq; interesse: qui etsi monere te, summae auctoritatis, & prudentiae hominem, non auderem, rogare tamen, & obsecrare non dubitarem. Quid enim tam necessarium, quàm ut Christiana resp. optimorum uirorum, eorundemq; prudentiss. doctiss. nobiliss.

consi

consilio administretur? quid autem tam raro uel nostra, uel patrum nostrorum, uel etiam maiorum aetate obseruatum est? sed fuerit ea sane quorum uis, quia non hoc agimus, culpa: nunc te sancta Christi Ecclesia nominatim appellat, auxilium tuū implorat, sapientia tua, et fide se indigere profitetur, gubernacula tibi, atque habenas rerum tradit. tu ne igitur optimae, ac sanctiss. matris uoces auersaberis? operam tu illi tuam negare audebis? cum ad illius propugnandam incolumitatem, si nemo uocet, te opum tuarum omnium, & famae, capitisq; periculo ultro accurrere, omni pietatis iure oporteat; eidem tam benigne, ac materne petenti, ad praemia te, ac honestamēta prius, quàm ad labores, & certamina inuitanti, non parere, non obsequi poteris? An preces etiam, & lachrymas optimae matris in summa orbitate positae expectabis? ferre ne id tua pietas, tuus pudor poterit, ut ea se ad pedes etiam tuos abijciat, ut prostrata supplicibus uocibus duritiem tuam inflectere conetur? Quid si non precibus, & lachrymis agendum putet; sed auctoritate sua, & imperio in te seuere uti uelit, non ne tibi Deum fore iratum credas, non ne te omnibus diuinarum, humanarumq; legum execrationibus

nibus obnoxium fore metuas, si materni apud te imperij auctoritas leuior uisa fuerit. Quanto, si id feceris, dolore tuo, & ipsius Ecclesiæ dedecore, deserta abs te præsidia ab indignissimis inuadi, & occupari aspicies? Prorsus enim, si tecum reliqui etiam boni exemplum tuum secuti abesse à gubernaculis christianæ rei decreuerint; aut desertam eam ab omnibus concidere, ac deficere, & in hostium crudelissimorum potestatem uenire necesse est; aut iniquiore etiam conditione improbis bonorum loca inuadentibus, turpissimorum hostium sceleri, ac libidini ludibrio esse. Quantum ergo isto exemplo noceas, fac etiam atque etiam cogites.

Quod si ambitiosum est honores cupere, ac quærere, uide ne ambitiosius sit ultro delatos superbe aspernari. Postremo iam ea tua ratio est, ut tuto aliter Dei gratiam tibi polliceri nequeas. si enim sua cuique uocatio sequenda est, & in ea permanendum; ad Remp. in qua uersaris, te fortasse nemo uocauit: tu aut uoluntate tua, aut tuorum impulsu ad eam ultro accessisti, in hunc uero summũ, sacrumq; ordinem, in quem tanta omnium approbatione allectus es, Pontifex ipse, cuius uel nutui obluctari non debes, te uocat: uocant ipsi Ecclesiæ

proceres,

rectissimam in re christiana uoluntatem noueris. Vale, ac cogita recusationem tuam bonis quidem doloris plurimum, sed improbis, & hostibus longe plus uoluptatis, & spei allaturam. Viterbij, X Cal. Iunias.

* . . . . S. D.

CVM Venetijs proxime discessi, ut in hanc solitudinem ex ista frequentia me conferrem; magna sane lætitia perfruebar; & quòd ad ea, quæ homini carissima sunt in uita, uxorem ac liberos meos redibam; & quòd mihi, ocium ad studia, amœnitatem ad ualetudinem quærenti, hunc esse præter ceteros locum expetendum atque adamandum intelligebam. sed, ut in rebus humanis nihil est simplex, in summa uoluptate molestiæ tamen hoc erat, quòd ita fortuna tulisset, ut, quo tempore tibi per anniuersarias Patauini gymnasij ferias Venetijs esse & commorari liceret, tum ego à te disiungerer, magnamq; manendi cupiditatem maxima discedendi necessitas uinceret. nec uero mihi dubium est, quin cum meo sensu tuus quoque sensus congruat.

gruat, & , quae me cura torquet, eadem te pungat. uinci enim in officio, atque amore, quàm sit turpe, si te non mea uox aliquando docuisset, ipsi te libri, unde hauris illa praeclara, quibus ad laudem informamur, penitus erudirent. quòd si, ut una simus, quod & tu, ut opinor, sperabas, & ego certe cupiebam, per interualla locorum non licet: at, quod proximum est, ut una esse uideamur, non uideo cur praestare literis & consequi non liceat. nam si propterea, simul esse, iucundum est, quia mutuo sermone fruimur: in literis non ego quidem tuam uocem audio, neque tu meam, sed, quae uoci subest res, eam nihilo minus, quàm una cum sumus, percipimus, hoc etiam maiore cum fructu, quòd aliquanto scribimus accuratius, quàm loquimur. quare uelim ad scribendum te des: & , cum me tuae consuetudinis usura, ob ingenij tui suauitatem, & sermonis elegantiam, mirifice capiat; haec, quae in te amo, quae nunc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omnino desiderem. debes hoc mea causa non nolle, tua uero maxime cupere. nam cum te aliquot abhinc annis in rectam illam antiquae eloquentiae uiam dederis, patris tui, uiri optimi ac sapientissimi uocibus, consilijsq; commotus, patrui uero

clarissimi

clarissimi ac præstantissimi ciuis, exemplo incitatus: turpe tibi est, in mediocri laude consistere; & ad summam peruenire, sine stilo assiduaq; exercitatione non potes. quid enim ille noster, cuius tu libros nunquam de manibus deponis, quid aiebat? timere se, nisi frequenter declamaret, ne, quod habebat in arte oratoria facultatis, exaresceret. attende mi Paule, & tuam causam, à qua mea disiuncta non est, si placet, mecum considera. ille sibi, homo Romanus, latinæ orationis inopiam metuebat; cum tamen omnibus in hoc genere diuitijs abundaret: nos, quibus latina lingua peregrina est, qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes & infantes pene sumus, de summa eloquentia, sine summo studio cogitabimus, & unam omnium difficillimam rem, eandemq; omnium gloriosissimam, ludibundi consequemur? uides me ipsum, qui quid sim, ego quidem non statuo; sed sunt, quibus non esse nihil uidear; nullum pene diem intermittere; quin aliquid latine scribam? cum tamen, ex quo lapidem, hunc uoluo, annus iam uigesimus abierit. est adolescens in uestra nobilitate, tibi non ignotus, mihi admodum familiaris; quem optimo ingenio præditum, & gloriæ cupiditate flagrantem,

nisi à Romanæ eloquentiæ laude ad huius uernacu læ ac maternæ linguæ studium falsa quædam opinio traduxisset: erat, cur de illo sperarem ea, quæ summa sunt. tantam enim operam in scribendo po nit, quantam tu uidelicet in legendo. sed neque illi in summa industria iudicij satis est, qui de latinæ linguæ dignitate non optime sentire uideatur: neque tibi, rectissime iudicanti, ad id ipsum, quod probas, obtinendum suppetit industria. Quare uellem, ut & tu illum in diligentia, & ille te imitaretur in sententia. quod utrunque si fieret, næ ego in eo uestræ laudi optime consultum putarem. sed ille de suo consilio uiderit. iccirco enim se non existimat errare, quia, quos sequatur, auctores habet eos uiros, qui, quod optimum esse ducunt, in eo facile omnibus hominibus antecellunt. te uero, qui mecum in meis laribus per triennium ferè uixisti, qui, quidquid es, de meorum consiliorum præceptorumq; fonte fluxisti; cuius à laude mea laus quodã modo pendet; te inquam mi Paule, quantum in me erit, errare non patiar; teq; coactus amore & officijs tuis hortari nunquam desinam, ut in ueram ac sinceram eloquentiæ formam, cuius ego tibi excel lentem pulchritudinem duorum ueterum oratorum

exemplo

exemplo ſæpe demonſtraui, tuæ mentis oculos acri ter intendas; eamq́; tibi à me ueris, ut arbitror, lineis deſignatam, tu aliquando tuis ſcriptis quaſi coloribus coneris exprimere. graue, inquies, onus īmponis, & difficilem mihi laborem mandas. fateor ita eſſe: addo etiam illud, non eſſe nobis optandum, ut aliter ſit. nam cum omnium hominum in appetenda laude par prope uoluntas, ſimiliſq; ſenſus ſit; quod omnes appetunt, id ſi eſſet eiuſmodi, ut conſequi multi poſſent; quanti, obſecro, æſtimares? opinor, minimi. copiam enim uilitas, et uilitatem ſequitur contemptus. quare non tibi eſt dolendum, quòd de ſudoribus manat gloria. lætare potius, quòd, cum eam omnes amabilem eſſe, ualdeq́; expetendam ſentiant, pleroſque tamen laboris magnitudo terret, & æmulandi ſtudium rei difficultas imminuit. eſt autem tibi ad hanc laudem, quò te uoco, aditus eo facilior, atque apertior, quòd, quæ duo ſunt ad comparandam eloquentiam inſtrumenta maxime neceſſaria, ingenium, & memoria, utrunque ſic tenes, ut in altero eccellas, in altera ijs, qui excellere putantur, non admodum concedas. hæc tu bona ſi languere ſinis, gratiam naturæ non optimam refers: quæ non in te beni-

gna fuit, ut suum beneficium negligeres, sed ut ad decus, ad immortalitatem, ad dignitatem, æternáq; laudem conferres. neque uero is ego sum, qui te uelim eloquentiam à philosophia seiungere, totosq; dies in hoc uno expoliendæ orationis studio consumere. erras, si me ita sentire putas. ego philosophiam diuinum quiddam esse dico, indicem ueritatis, magistram uitæ, omnium uirtutum, omniúmq; laudandarum artium parentem. sed idem ita statuo; si, qui optime sciat, non optime loquatur, plerunque fieri, ut id ipsum, quod sciat, nescire uideatur: & ut in conuiuijs non parum interest, qua epulæ ratione condiantur; sic in sermonibus aut scriptis, magni refert, quibus animi cogitata uerbis enuncientur. Quòd si cui ita stupidus, aut ita deprauatus est sensus, ut ornatæ & bene structæ orationis suauitatem, & tanquam harmoniam auribus non percipiat hunc tu, si sapis, neque consules in re tua; quia, rectè qui non intelligit, is ut rectè iudicet, sperare non licet: neque ipsum monebis; quia, quibus desunt principia naturæ, ijs inutilem artem esse constat. tu, si me audies, musarum uocem ab rusticano sono distingues; & ut inanem multorum loquacitatem oderis, sic elinguem quo-

rundam

rundam sapientiã non amabis. qua in sententia ui deo fuisse, quos uiros? Platonem, & Xenophontem: quibus ego plus crederem soli, nutu significãtibus, quàm omnibus, qui nunc ubique sunt philosophis cum iureiurando confirmantibus. non ne uides magnum utrunque & excellentem in philosophia fuisse; utrunque tamen in hac, quam homines inepti reprehendunt, exornandæ orationis facultate ita præstitisse, ut, eorum scripta cum legimus, nihil fieri posse purius, nihil elegantius, nihil illustrius indicemus? à qua laude plurimum abfuissent, nisi temporis industriæq; multum in eloquentiæ studio collocassent. neque uero eloquentiæ studuissent, nisi ex ea decoris ornamentiq; plurimũ ad philosophiam accedere, tanquam ad formosam uirginem à corporis cultu, iudicassent. hos igitur ego te imitari malo, quorum nomina adhuc uigent, cũ ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, quàm istos, si qui sunt, qui te infirmissimis rationibus à pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, ut facis, in disciplina philosophiæ, in qua Patauij artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloquentiam uero, cuius, ut opinor, in uia me ducem non contemnis, ne dimitte. utrunque

enim & debes, si tibi magna proposita sunt; & potes, si, quod me sæpe dixisse memini, diei horas apte & cum ratione distribues. Vale, & patrem tuum, & patruum, quos ego plurimi sane facio, & communes amicos meo nomine saluta. ex Plebe Săccij, X. cal. sept. 1552.

Victor Faustus Andreæ Naugerio, Venetæ reip. in Hispania oratori, S. D.

SI *per negocia, quæ mihi publice iniuncta sunt, clariss. Naugeri, licuisset; fecissem equidem libenter, ut singulo quoque mense, quemadmodum et alias facere solitus sum, ad Rhamnusium, tibi literas daturus, accederem. sed ea est temporum conditio, atque ea adhuc ingeniorum ueluti nox, Herculea illa longe prolixior, quæ iam inde usque ab Romani imperij ruina tot simul egregias artes, græcorum præcipue hominum studio expolitas, tenebris inuoluit, nostram etiam ætatem infuscat, ut nonnunquam ex hac mihi semper gratissima umbra in puluerem & solem auocer necesse sit: quoniam, nisi solers aliquis uir, laboriosus pariter et bonarum artium studiosus, qui diu multumq; in literis*

teris uersatus sit, multa generis humani ornamenta ex antiquorum monumentis eruta in lucem conetur asserere, periculum sit, ne nostrum hoc seculum, cui iampridem alioqui ea illuxit aurora, quæ pene possit cum antiquitate contendere, bene magna sui parte nubilum diem & uera luce carentem penitus habeat. nam paulo ante nostram ætatem, ut probe nosti, cum rudia omnia esse putarentur, alij ad studia literarum, alij ad musicen, alij ad picturam sculpturamq́; , alij ad alia, principum liberalitate excitabantur. in præsentia uero ubi nonnulla excellenter fieri cœperunt, iam exquisita omnia se habere uulgus hominum arbitratur. proinde, ut securitatem semper negligentia sequitur, in ijs, quæ ardua sunt, atque ex magnitudine difficultatem in se aliquam habent, nullis præsertim, aut certe perexiguis propositis præmijs, multorū cessat industria. unde necessario euenit, ut multa quæ ut aliquo pacto fiant quotidie usus postulat, et præsertim quæ machinamēto aliquo idest ingenio simul atque acri īudicio egeant, ab imperitis hominibus, & duntaxat fabris inuita quamuis Minerua *tractentur: tantumq́; absit ut sua in dies meliora facere studeant, ut nunquam alias quicquam melius factum fuisse*

aut posthac fieri posse contendant. nactiq; aliquem sui similem ex ijs, qui opibus aut potētia polleant, cuiusmodi rudium hominum ingens ubique numerus reperiatur, necesse est, dum laborem discendi ocio ac uoluptate permutant, antiquitatem omnem modo derident, modo historiæ quantum libet ueteri fidem abrogando, nequam mediusfidius homines nihil non interim mentiri aut negare ausi suo arbitratu interpretantur. et quoniam sua quisque naturæ quodam uitio facile admiratur, interdum etiam persuadent publicæ existimationis inimicum esse illum, profanum, impium, qui antiqua præsentibus, hoc est, ut ipsi autumant, suis aliena præponat. tantoq; illum peius odere, quanto id clarius non argumentis tantum dicendo, uerum etiam exitu aliquo rerum ac experimento ipso uerum esse ostenderit. quasi uero in artibus, perinde ac in hominibus propter affinitatem fieri conuenit, non quæ optima, sed quæ maxime domestica sit, inter suas unicuique cēsenda esse uideatur. quare si, hoc mihi semper iucundiss. officio ut caream, aliquando necessitas cogit; te obsecro, Naugeri, per fortunas, & quæcunque tibi carissima sunt, ne id nimium ægre feras. Quod uero ad te ipsum attinet; facile mihi persuadeo.

suadeo, te istic non esse inuitum, qui patriæ tuæ ciuis amantissimus publica negotia sustineas: te tamen rogo, ut, si quæ tuis commodis uel uoluptati auferuntur, ea patriæ tuæ utilitati ac ornamento accedere, æquo animo patiaris. Bene agitur cum Rhamnusio tuo: qui, depulsa illa satis diuturna aduersæ ualetudinis molestia, præclare et ipse sibi, et amicis restitutus, animo lætissimo rusticatur, summamq; ex duorum pene quotidiana consuetudine uoluptatem percipit, Petri Bembi, & Andreæ Riccij, alterius omnium uirtutum laude insignis, alterius fingendi arte ita clari, ut, quod eius egregia monumenta declarant, cum omni antiquitate contendat. quid quæris? quodam modo Villa Rhamnusia, & Nonianum, & Ligunti insula, cum hi tales uiri absunt, solitudo uidetur: nunc ego quidem, ut meus est sensus, in ijs locis, quandoquidem ibi nunc cum huiusmodi uiris uirtus habitat, miram statuo esse celebritatem. ac mihi magnam felicitatis partem uiderer obtinere, si, cum assidue amicissimorum hominum suauitate ac uirtute frui non liceat, saltem tertio quoque die accurrere ad eos possem. sed scis, quæ me implicient quotidie magis occupationes. te quoque, nisi fallor, pungit Seluæ

tuæ,

tuæ, & Muriani, quibus nunc cares, iucunda simul & molesta recordatio: ubi cum Gaspare Contareno, Nicolao Theupulo, Augustino Pisauro, eorũq; simillimis uiris, uiuebas, uiuebas, inquã, Naugeri. ea enim uere uita est, quæ cum uirtute præditis hominibus traducitur. sed hæc, intermisso fructu, cariora tibi erunt, cum redieris: tuq; sermones amicorum tuorum, nos tuam doctrinam, tuam suauitatem, multo, quàm antea, iucundius, ex interuallo regustabimus. quod cum à Deo precamur: tum uero, quia Deo, qui diuina studia in humana uita colunt, curæ sunt, non optamus magis, quàm speramus. Vale. Venetijs, cal. Iun. M.D.XXVII.

* . . . . .

EPISTOLAS *à te habeo duas, utranque scriptam elegantissime, sed illam pleniorem, quam* XI. *cal. Sept. dederas: nam hæc recentior, cui nonarum* Oct. *dies erat ascripta, argumentũ habuit ferè nullum. uenio igitur ad priorem: in qua cætera iucundissima, illud permolestum, quòd te minus commode significas ualere: scribis enim, ob aduersam ualetudinem te uereri, ne non illud, quod ordi*

ris, possis pertexere. mi Catiane excita prudentiam tuam, & occurre morbi principijs, ne ille grauior deinde factus, & te, & amicos tuos, qui te ægrotante ualere non possunt, diutius uexet. hoc loco mihi ueniunt in mentem, quæ tu me olim, minus recte cum haberem, prudentissime & amantissime monuisti. illa, illa ipse tibi nunc in memoriam redige, &, quæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. tu mihi nõ ex Galeno, aut ex Auicena, sed ex ueterum philosophorũ libris remedia dedisti: ego nunc idem in te facio. uis, quæ meum morbum te medente sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere? non uis, opinor: non enim id te dignum est, qui ea sæpe legisti, unde homines alijs cauere cum discant, sibi eos non cauere turpe est. quare adhibe eam, quam ad omnes res soles, ad te curandum diligentiam: & quod oneris suscepisse te scribis, id si tibi grauius uidetur, quàm ut perferre possis, depone prius, quàm opprimare. magnum est, quod moliris, &, magni non solum ingenij, quo tu non eges, sed etiam otij: quo nisi abundas, quo modo te speras ea, quæ in iure ciuili dispersa sunt, primum posse cogere, deinde coacta ita disponere, ut ex certis generibus totum ius ciuile cognoscatur?

atque

atque ego tamen sic existimo: si quis est qui hoc praestare possit, aut eum te esse, aut neminem: sed quoniam res tuas ita ferre scribis, ut tibi in forum necessario sit eundum; quae ratio, si modo & tibi, & populo placere uelis, multi temporis exercitationem desiderat; haec autem quae à te est iuris ciuilis instituta digestio, eiusmodi est, ut nihil operosius existimetur: uereor, ne, duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, utrāque dū uis, neutrā assequare. quamobrem, quid suscipias, tui consilij est: ego monendi partes, quae sunt prudentiae, non assumo: neque enim plus ulla in re me existimo uidere, quàm tu uides: id, quod est beneuolentiae meae, faciam, ut magnopere te non solum horter, uerum etiam rogem, ualetudini tuae minus, quàm gloriae, ne seruias. quae quidem nobis, qui te summe diligimus, tantae curae est, ut plurimas nostrae salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro, ualde te amo, sed eum hoc tempore cur mittas non est. sunt quaedam, quae magis urgent. Quae scis à nobis anno proximo superiore instituta, iam pene absoluimus. Reliqua sunt in rebus nostris cuiusmodi fere uolumus. fratres ualent ut cum optime; ego sicut soleo. amamur à mul

tis,

tis, colimur etiam à nonnullis; qui falſa de nobis opinione adducti, noſtram conſuetudinem, quaſi docti hominis, uidentur expetere. quibus ſcilicet hunc errorem eripiam, cum ijs me patefecero. Vale. XVII. *cal.* Nou. *Venetijs*, M.D.XL.

* . . . . S. D.

SI *neſcis fortaſſe, quantum ego amori noſtro tribuam, cognoſce ex hoc, quòd & ſuperioribus menſibus, licere mihi per eum putaui ad tuas literas humaniſſime ſcriptas nihil reſpondere; & nũc etiam male reſpondeo. non eſt hoc, inquis, officium colere. quaſi iam probaueris, quia non coluerim, ideo me turpem eſſe. non placet ita duris legibus amicitiam aſtringere, ut nunquam relaxentur. ſummam diligentiam maximis in rebus ſi ab amico requiris, iure facis: ſed ſi etiam in minimis, non æquus es. eſt enim profecto quædam ſuauitas in negligentia: quam qui ex amicitia tollit, horridior eſt, quàm ut urbani mores ferre poſſint. quare ſi amabilis eſſe uis, (quanquan (u s te uno amabilior eſt) ẽ ueruntamen ſi id tibi propoſitum eſt, ut omnibus in rebus æque amabilis, æque iucundus ſis: permitte*

permitte mihi ut liceat aliquando tecum esse negligenti. ego de tuis literis ita iudico, scriptas esse non solum eleganter, in quo tamen non minima laus est; sed etiam sapienter: quod quia solet ab ætate tua longius abesse, non solum laude, sed etiam admiratione dignum est. uitium hoc in plerisque adolescentibus, atque etiam in robustioribus quibusdam fama celebratis animaduerto, ut inania colligant, & eloquentiam non, ut ueteres illi, in sententijs & uerbis à communi consuetudine alienis, sed in quibusdam uulgaribus ac pene puerilibus ineptijs constituant. quare non ego te Luisine hortabor, ut ex ista imperite scribentium turba te eximas: sed gratulabor potius, quòd ita effecisti, ut hortationi locum non relinqueres. hoc cum adolescens adhuc, & pene imberbis, nondum ea prudentia, quæ extrinsecus assumitur, propter ætatem plane instructus, naturali quadam ingenij facultate, & assidua Ciceronis lectione sis consecutus: cum illa accesserint Aristotelica, in quibus nunc totus es; usumq; rerum, qui in adolescentem non cadit, percallueris; qualem te uirum futurum putemus? non sum natura blandus: neque soleo cuiusquam au[illegible]ibus inseruire: potius offendit quosdam

libertas

libertas mea. quare, quod dicturus sum, gratiæ causa dictum ne putato. si quando accidit, ut interroger de ijs, qui antiquam illam perfecte scribendi laudem posse nobis uideantur iam pene amissam restituere: soleo te duobus præstantissimis adolescentibus, meis familiarissimis, Calino, & Amaltheo tertium inserere. Calinum puto non nosti: qui clarissimum iuuenem, Aloysium Cornelium, singularis uiri, Ioannis Cornelij filium, in Cyprum insulam secutus, tertium iam annum abest. sed mihi hoc uelim credas affirmanti: ea bona, quæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia fere in illo adolescente aut esse iam, aut breui, ut ego augaror, futura. de Amaltheo autem, quid sentiam, non expectas opinor ut significem, neque ut ego tibi eum quasi latentem indicem, quem in illustri quadam specula uirtus constituit. quare coniunge te cum his, & eloquentiam tres optimi adolescentes, ætate fere pares, concordi studio, sicuti pulcherrimam uirginem, diligite: quòd si me etiam socium recipitis, & riualem in hoc amore fertis: erit præclara consensio, & latinæ ling[illegible]e formam, quam, superioribus temporib[illegible]i barbarie uitiatam, nūc agnoscere uix poss[illegible]s, posthac

hac

hac, ut opinio mea fert, intactam, illibatamq; tuebimur. Vale. Venetijs, M.D.XLVII. IIII. cal. Ian.

* . . . . D. S.

VBI te audiui Episcopum esse creatum, laetatus sum non tam ob ipsam rem, quae sane est per honorifica, propterea quod Episcopatus & sacerdotium est, & maximum sacerdotium: quam quia de te ipso cogitans, intelligebam te eum esse, cui ad istam honestandam dignitatem facultas in optima uoluntate non deesset. tibi erunt quae multis solent esse laboriosa, uirtus & uigilantia, ex tua ueteri c[illegible]suetudine facillima. non enim honorem quasi legem bonitatis, ad quam te fingeres, accepisti, sed ad honorem bonus accessisti, multis primum, magnisq; rebus Paulo III probatus, cui Pontifici & omnium sapientissimo, & optimo, qui & ipse Deo probatus est, & non probat nisi sui similes: gratulor igitur tibi, nō ut gratulantur ij, qui fere, quibus fructibus auctus sis, unum cogitant, caetera magno pere [illegible]ant; sed ut ij, quibus dignitas & religi[illegible]unt: quae tu coles maxime & eris in Chr[illegible]tia antesignanus. grauem per[illegible]onam Epi

sco[illegible]

scopi sustinetis. uestrum est errantes animos in uiã reducere. et reducitis uos quidem præceptis diuinæ doctrinæ tradendis: sed magna uis est in exemplo, cum ea, quæ traditis, ipsi uita & moribus exprimitis. quod tu præstabis utrunque omnium maxime: qui & habes doctrinam, atque eloquentiam, quarum altera imperitos erudias, altera languentes excites; & uiuis, ut homo, satis extra culpam. quod memini me multis ab hinc annis in tua prima adolescentia miratum, cum ea in te laudarem quæ tamen imitari non poteram. quod fecisti adolescens, cum tua te singularis, optimáq; natura ad decus inuitaret, & quasi manu prehensum duceret, nunc ætate confirmata, cum ad uoluntatem accesserit ratio, dubitem quin idem multo sis alacrius constantiúsq; facturus? dubitet qui te ignorat. mihi, cui tua studia, tui sensus ex nostra familiaritate notissimi sunt, dubitare non licet. quare ut ad prima redeam, non eo solum nomine tibi gratulor, quod Episcopus es, in summa dignitate constitutus, quòd tibi scis esse commune cum multis; sed quòd is es, qui cum ista dignitate uirtutem æquare possis. quod quia uides quàm non multi potuerint, eo magis tu, qui potes, hoc ipsum, quod [illegible]es, acce-

ptum Deo referre debes, tantumq́; munus in te collatum, illud quidem plurimi facere, sed, quoniam est proprij erga te amoris argumentum, muneris causam multo, quàm ipsum munus, pluris æstimare. Vale. *Venetijs, cal. Maij,* M. D. XLVII.

ANTONIVS THILESIVS
Andreæ Francifcio c. 113.
Benedicto Rhamberto, charta 111: 114. 115.
BENEDICTVS ACCOLTVS CARD. RAVENNAE
Paulo III. Pont. max. c. 53. 56.
Iacobo Sadoleto Card. c. 56.
BERNARDINVS MAFFEVS
Ludouico Cafteluitro c. 96.
BENEDICTVS RHAMBERTVS
Philippo Gherio fratribusq; c. 58.
Paulo Manutio c. 59.
COSMVS GHERIVS EPISC. FAN.
Cardinali Contareno c. 65.
Cardinali Theatino c. 65.
Petro Carnefiecio c. 67.
Giberto Epifcopo Veronenfi c. 69.
Bernardino Maffeo c. 69.
Paulo III. Pont. Max. 106.
Benedicto Rhamberto c. 10 ... 108.
GEORGIVS SELVA
Petro Bembo 105.

IACOBVS SADOLETVS
Lazaro Bonamico c. 25. 34. 27. 36. 41.
Reginaldo Polo 38. 43:
Petro Bembo c. 47.
Card. Rauennæ c. 54.
IANVS PARRHASIVS
Aldo Manutio 109.
IOVITA RAPICIVS
magistratibus ciuibusq; Brixianis c. 76: 78.
Io. Baptistæ Rhamnusio c. 77:
Paulo Rhamnusio c. 79.
Hieronymo Montio c. 80.
IO. BAPTISTA EGNATIVS
Matthæo Aduocato c. 97:
Romulo Amasæo c. 101.
IOAN. PETRVS CRASSVS
Friderico Valeresio c. 115:
Gaspari Contareno c. 118.
LAZARVS BONAMICVS
Mario Sauorniano & Benedicto Rhamberto c. 2. 3.
Petri Hosio Polonis c. 4.
Iaco. Sadoleto c. 5. 11. 12. 15.
Paulo Ianutio c. 5.

Mario Sauorniano c.
Gaspari Contareno Cardinali c. 8.
Principi Melphitano iuniori c. 9.
Reginaldo Polo c. 13.
Ioanni Turitiano c. 15.
Instauratoribus Patauini Gymnasij c. 16.
Raynutio Farnesio, Venetiarum Priori c. 20.
NICOLAVS DRACO
Ioanni Baptistæ Egnatio c. 110.
PETRVS BEMBVS
Ioanni Baptistæ Fideli c. 47.
Cosmo Gherio c. 49.
Hieronymo Nigro c. 49.
Paulo III. Pont. max. c. 50.
Iacobo Sadoleto c. 52.
PETRVS BVNELLVS
Iosepho Magetano c. 84.
Andreæ Cornelio c. 87.
Carolo * c. 88.
Paulo Manutio c. 90
PETRVS DANESIVS
Iacobo Colino 7[illegible]
PAVLVS SADOLETVS
Lazaro Bonamico c. 93

REGINALDVS POLVS CARD.
Lazaro Bonamico c.14.
Iacobo Sadoleto c.20.29.
Paulo Rhamnusio c.84.
ROMVLVS AMASAEVS
Io. Baptistæ Egnatio c.102.
SIMON VILLANOVANVS
Hieronymo Sauorniano c.71.
STANISLAVS ORICHOVIVS RVTHENVS
Paulo Rhamnusio c.81.
VBALDINVS BANDINELLVS
Petro Bembo c.61.
VICTOR FAVSTVS
Marino Bezichemo c.90:
Io. Baptistæ Rhamnusio c.92.
Andreæ Naugerio c.123:

SERIES LITERARVM.


A B C D E F G H I K L M N O
P Q R.

Omnes quaterniones, præter R, duernionem.

VENETIIS, M. D. LVI.

APVD PAVLVM MANVTIVM,

ALDI F.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



